




nasICIDIVM In parnaſſò absqVe gVttâ CrVorIs

AMSTELODAMI,
Apud GUILIELMUM BARENTS. MDCCXXV.

RAPTUS
ECSTATICUS
IN MONTEM PARNASSUM,
In eoque
VISUS SATYRORUM LUSUS
Cum nasis tabacoprophoris.

SIVE

SATYRICON NOVUM
Physico-Medico-Morale
In modernum tabaci sternutatorii abusum.

AUTORE
JOANNE HENRICO COHAUSEN
Hildesio-Saxone.





AMSTELODAMI,
Apud GUILIELMUM BARENTSE.
MDCCXXVI.

Difficile est Satyram non scribere. Nam quis iniqui tam patiens, nasi, *tam ferreus, ut teneat se?*

Juvenal. l. 1. Sat. 1.

ADMODUM REVERENDO

DOCTISSIMOQUE VIRO

DOMINO

HENRICO JOSEPHO GRASPERO,

Missionis in Batavis Curioni meritissimo in Bulwyck.

AMICO INTEGERRIMO

Salutem & omnigenæ felicitatis perennitatem.

COrporis humani partes à natura sensuum organis destinatæ, quamvis ad vitæ commoda & necessitatem maximam, ad pessimos tamen quandoque abusus sive physicos sive morales detorquentur cupiditate, & voluptate imperantibus Testis est emunctorium illud & faciei Promontorium Nasus,

 odo-

odoratui præprimis apud ſenſatiores olim, nunc tandem etiam apud Naſutiores ſub inani defæcationis cerebralis prætextu inordinatæ ſerviens orexi (*Picam naſi* appello) quando more novo ab aliquot luſtris primùm invaleſcente perpetius tabaci ſternutatorii perfrictionibus, ingeſtionibus, oppletionibus in omni ætate & ſexu miſerrimè divexatur, ut cum *Prudentio*, antiquo quidem ſed ſcitiſſimo poëta, meritò interrogare liceat:

In Martigenia.

Anne ideo ſpirant, mediaque ex arce cerebri
Demittunt geminas ſociata foramina nares,
Ut bibat illecebras malè conciliata voluptas?

Fædiſſimum ſanè non minus quàm ridiculum eſt, in naſum Tabacoprophorum tanquam commune ſtabulum hodie tam horrendas fœces exonerari, imò veriùs progenerari ab Excrementipara Nicotiana. Quam quidem Cacoëthicam naſi pruriginem, & pulveris ptarmici in-

ingerendi morem quà sanitati quà rectæ rationi maximè adversum in Dissertatione de *Picâ nasi* paucos ante annos in lucem missa sat acribus pharmacis expurgare & expugnare conatus sum, licet apud innumeros haud insecutâ optatæ curationis hysterergiâ. Unde extrema tandem remedia, & novâ quidem nasicidii methodo isti hodie magis magisque serpenti & contagiosæ Narium Ozænæ applicare conclusi cum ultimato prognostico, ut si hæc effectu quoque frustrentur, isti Sapientiæ nasulæ proceres ceu penitus incurabiles imposterum suis sordibus sint relinquendi.

Cum igitur Dissertatio ista prior Nomini tuo VENERANDE VIR multis ex Capitibus inscripta fuerit, & monente Sapiente Romano beneficium non sit, cui deest pars optima; neque donum perfectum, quod non est integrum; præsens autem pertractatio, ut ut Raptus Ecstatici titulo di- L. de Benef.

* 4 ver-

versa, prioris argumenti sit continuatio, sic alii quàm tibi inscribi & dedicari non debuit, ne munusculum literarium mutilum, mancumque evaderet.

Inprimis dum me novo hoc beneficio prævenisti, ut te velut alterâ *Lucinâ* rursum feliciter obstetricante ingenioli hic mei fætus niti dissimo typo in celeberrimo vestro artium liberalium Sacrario, & rei librariæ Emporio lucem primam auspicetur. Propter quem, si quid fortassis mihi, etiam potissimum tibi Musæ debebunt. Claudo itaque cum prælaudato Philosopho Romano:

Ep. ad Lucul. 27. *Accipe jam, quod debeo, & Vale.*

Vredenæ Westphalorum Kal. Jun.

MDCCXXV.

IL-

ILLUSTRI VIRO,

DOMINO

GAUDENTIO NASOBONI,

Pæticampi Dynastæ,

Tabacophilorum Mecœnati summo
Ευπϱάτ]ειν.

FAusta tibi affulgeat hodierna lux Domine *Nasoboni*. Proficiat. Opportunè incidit visitatio hæc mea in nascentis diei tempus, quo vel in ipso accessu salutem liceat sternutanti apprecari. Fortassis ex capite hac nocte non bene tecto deplus in nares catharrus Coryzam induxit, ut tam maturè sternuas; aut saltem pixidem, ni fallor, jam inhalâsti tabacariam. Nicotiana, video, Hispanica jam nasum pingit matutinâ lanugine, quæ cum diei augmento in Mystacem, credo succrescet. Venio non tantùm vale-

tudinis tuæ curandæ, sed, quod potissimum, etiam libelli novi seu novellarum fasciculi tibi præsentandi causâ, & illius quidem ex ipso Parnasso, ex quo aliàs rariùs ad nos excurrit *Mercurius*. Novorum namque eventuum te semper fuisse curiosum expiscatorem non ignoro. En multa & mira nova de nasorum metamorphosi, *Nasonianis* saltem non falsiora; quorum te omnium primum conscium & certiorem reddere volui; eò quod tabacophilorum non sis dumtaxat Mecœnas, sed & ipse nasus tuus verum cluat exemplar & prototypon omnis ex tabaco elegantiæ, ut quasi è pixide tabacaria desumptus videatur, siquidem

Ad Imitat. Catulli.

Nunquam pixis abest. adest saliva,
Mucusque, & mala pituità nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quòd culus tibi purior tabacato est
Naso. Vix semel in die cacas. Sed
è Naso decies cacas in hora.

Sal-

Salvus ſit honor auribus tuis naſo mundioribus. Præſentationi quam facio, non una ſubeſt cauſa. Tametſi enim ſis *Simichonariſtuus*, gaudes tamen non obtuſiori ingenii acumine, quàm antiquiſſimus ille Philoſophus, de quo cecinit Satyricorum recentioris ævi coryphæus:

Batavi appellant. Krombultigedruipneus.

Jac. Bald. in excom. Torvit. n. 3.

Chryſippi argutum paſſim laudatur acumen,
Quod tamen à naſo, ſi vera eſt fama, pependit,
Et ſtillante quidem.

Tametſi prudens illud ſilicernium nunquam nares vexâret tabaci pulvere. Qui quidem naſus ingenii tui index æquiſſimum mihi ſpondet de nova hac Satyra judicium, & longè ſanius, quàm iſtius *Picæ naſi* Cenſoris *Torpei*, qui pedum potiùs proſodicorum, quàm enormis ſui naſi quantitatem ingenii decempedâ metitus, Bibliothecæ Batavæ lacinias ex illa deſumtas attexuit,

xuit, & Rusticis suis parochianis idiomate vernaculo recensuit.

Nam rusticorum mascula non minùs
Proles, Batavis docta ligonibus
Versare glebas, ex tabaci
Pixide amat saturare nares.

Quam ob causam in Parnasso Satyrorum quoque ungues non effugiens publico, ut debuit, sic dedit ludibrium.

Tibi verò *Nasoboni* nasus est sagax, & licet continuis ex tabaci pulvere nimbis madidus, non tamen ita corruptus, quin simplicem veritatem, quam aliàs nemo libenter spectat, commenti Satyrici tegmine leviter saltem velatam sis subodoraturus, futurus judex, num susceptam Satyrici personam decenter expresserim. Cape igitur Vir perspectissime nunc pulvisculi tabacini egregiam portionem (nam tibi nasus non pugno minor est, & quatuor digitorum capacia narium fora-

foramina) ut his probè emunctis tribus istis in præsenti fabula incorruptis judicibus & tuam crisin de pulveris nasalis fæditate & noxa valeas addere. Quæ ut sit defœcatior, me rursum permittente

Nasus *eo tactus usque, & usque, & usque sternuat* Carrera l. Epod. od. 10.
Non absque punilorum metu.

Est quoque tibi Domine *Nasoboni* Uxorcula potissime culta, sunt elegantes filiæ, licet nulli non insit

Fædissima nasi Ad Imit. Virg. 3. Æneid.
Proluvies, uncæ nares, & sordida semper
Ora Capro.

His temporis fallendi gratiâ nil præstabis acceptius (nam & hæ cupidæ sunt rerum novarum) quam explicationem fabellæ de ridicula fæminarum sorte, quæ in Parnasso passæ sunt à Satyris *Nasicidium.*

Lege igitur, qui curiosus es oculo

lo avido has novellas, & præsentes, quos unà ex Parnasso attulit *Mercurius*, versus tibi communicandos:

Pixis, quæ tabacum servas, immenda cloaca.
Vas diris dignum, sorditieque scatens.
Quod genus omne hominum stolido sectatur amore,
Quas in eo quærens nescio delicias.
Vellem centenis, si sim potis, ipse figuris,
Sexcentis vellem te lacerare modis.
Nil præter fœces putenti cordis in alvo.
Quas naso quivis gestit habere suo.
Sit procul à nobis pixis tabacaria, virus
Ne nos inficiat capsula fœda tuum.

Quod uxor filiæque tuæ me interprete sic intelligent:

Ad Imit. Madr. Ridicule.

Tabaciére cloaque d'immondices!
Vaisseau detestable & puant!
Dont toutes les sortes des gens,
Font aujourd'huy ses delices.
Je voudrois par cent traits divers
Te tympaniser dans mes vers.
On ne hume de toi, que poussiére,

Que

Que chacun veut avoir sous le nez,
Chassés loing la tabatiére,
Pour n'être pas empoisonné.

Natos decori desipientia est
Fædare nasos. Tollite barbarum
Morem Verecundasque pares
Merdifluo prohibete pæto.

Ad Imit. Horatii.

Cætera novellæ dabunt. Vale Illustre Nasatorum decus, & æqui bonique consule

Musæ dona pusilla meæ.

Ego non desisto esse tuus usque ad cineres, (non tamen tabacarios) & ad urnam usque (non tamen Nicotianæ capsulam)

Famulus obsequiosus.

J. H. C.

PRÆ-

PRÆFATIO

Ad Pætophilum

LECTOREM.

Ecce iterum nunc nasus adest iterumque vocandus
Ad partes: Nasus *lege modoque carens.*

MEmbrum illud bifore, capax, rapax, & vorax pulveris ferini fœtidissimi. Castigatus nuper pervicax nasus auribus caruit, neque argumentis aut documentis, imò nec sale licet acriori defricatus voluit resipiscere. Legerunt *Picam nasi* Pœticapiones, & interim *datatim ludunt & agunt ex pixide.* Agnovêre nasi sui speciem & insolentiam, inde tamen non plus moti,

Quàm si dura silex aut stet marpesia cautes.

Imò fuêre, qui injuriâ nescio quâ oblæsi eam naso adunco suspenderunt. Quo circa dum vulnus est recens, dum nasus bile calet, cogitanti mihi de remedio efficaciori, fortè occurrit *Fabius Planciades Fulgentius*, & auri insusurrat illum suum Mythologicum: *Licet mulierum verbalibus*

libr. 1.

us undis & Caufidici cedant, nec grammatici mutiant, Rhetor taceat, & clamorem præco compeſcat, ſola eſt Satyra; quæ modum imponit furentibus.

Arriſit medicamenti genus, ut mulieribus præſcriptum, ſic nec viris incommodum, & non minùs his quàm illis adhibendum, cùm eorum naſos par ſentina hodie infecerit. Adfuit mihi quoque opportunè Hippocrates meus, qui in extremis morbis extrema laudans remedia monebat, ubi non juvat lenire, ad ignem & ferrum eſſe progrediendum, nempe eſſe ecandum ad vivum, ne vulnus immedicabile reddatur; optimum verò aptumque ſectioni inſtrumentum offerebat Cæſaris *Auguſti* vates aulicus:

Ridiculum acri pleniùs & meliùs
Plerumque ſecat res.

Quorum trium inſignium virorum adhortatione firmatus concluſi tandem hoc remedii genus adhibere, & ad vivum ſecacare; ſecare inquam naſos, naſos coprophoros, naſos rhinocerotes, naſos tam pumilos quàm gigantes,

Naſos ſive breves Batavos, longosve Batavos.

Κόπρος. Unde naſus *tabacoprophorus* eſt naſus ferens ſtercus tabaci.

** Id-

Idque audacter & strenuè, ut professorem decet, & satis quidem profundè, citra omne adulationis artificium, quod hodie mihi adhuc minùs quàm olim notissimo illi Saxonum morioni esset profuturum. Si namque cum eodem nasi grandioris alumno & tabaci Helluoni dicerem, *ô quantum nasum habes!* sive verbis suavioribus: *Herculè nasum habes perpusillum*, sive erroris veniam deprecans tandem reponerem, *nullum omnino nasum habes*, certè non majorem quàm ille gratiam à nasis balatris essem habiturus. De ipso autem secandi modo sollicitus cogitavi mihi haud satis fore gloriosum, si ipse manum applicarem tot nasis fœdissimis & fœtidissimis, sed satius esse, si committantur secandi Satyris, magè funditùs vetustam camarinam expurgaturis-quòd scopas habeant acriores:

Neque enim hanc emungere Myxon
Doctius ulla potest manus.

Hos sanè *nullius terret reverentia nasi.* Hi eluviem omnem profundissimè abstergent.

Horat. de Ars. Poët. *Atque ita risores* nasum purgare *dicacem*
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo.

Sed

Sed quia fortè nonnullis gryphos loquor: explicabo clariùs. Grandem adornabo fabulam historiæ similem, in qua sub lepidissimo commento & docens & oblectans rursus ostendam pulveris tabacini in naribus fæditatem. Nasos tabacopropho-ros quadam veluti in tabella ita deformes ostendam, ut ad horum conspectum vel ipsa rideat, vel stupeat, indigetes saltem sordes miretur tabacaria turba. Narium

Sepia in alveolis nans, & loliginis atræ
Qualiscunque humor.

Aptissimus penicillo & calamo est color, quo graphicè adumbrentur istæ nasorum exorbitantiæ. Res igitur sub lusu hoc seria agetur. Non enim fingimus omnia, neque *Satyram inflamus inanem*. Fortassis de lectore ipso mutato nomine fabula narrabitur, qui dum de alienis cogitabit nasis, præcipuas in illa partes aget. Occultabitur sub festivo tegmine Veritas, nil autem patescet clariùs, quàm insita naribus insulsa vanitas. Satyri nostri nulli parcent, sive sit *Menelaus an Ajax*, *Brutus an Augustus*

Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebunt.

Imò ne ipsis fœminis multo aliàs privilegio gaudentibus parcent. Nam ut ait Romanus Sapiens, cùm harum non mutata sit natura, sed vita, & virorum licentiam æquent, merito & illorum pœnam debent æquare, & ad Apollinis tribunal lascivientis-nasi reddere rationes. Sive sit imperiosa *Tanaquil*, jurgiosa *Xantippe*, insulsa *Acco*, lasciva *Pasiphae*, temulenta *Myrtale*, nihil morabuntur. Forsitan aliquando illas pudebit eas partes diutius in scena vitæ agere, quas ex merito egisse intelligent in hac fabula. Nulla autem se apertè læsam conqueri poterit, nisi demonstratam nasi fæditatem turpi confessione in se receperit.

Verùm quid longa præfatio lectorem detinet? Ipsa scena reos sistet.

Adeste risus & cachinni concutientes
Præcordia. Pone quisquis es lector curas
Severiores, & frontis abjice nubem.

Vel ipsi catones posito supercilio hìc rideant. Capripedes Satyri jocosum dabunt nasicidium, & quidem absque cruore. *Quid non dant Satyri, dabit histrio.* Tu igitur, nunc

Fa-

Fabula nasutis, stultisque tarantula nasis,
Ludibrium Satyris Nicotiana veni.

Et tu Intabacatorum petita convitiis innocens proles mea

Nasi pica *novis prodi defensa camænis,*
Vosque tabacophili risuque jocisque notandi.
Existe in scenam rursus, Musæque facetæ,
Insontesque sales, Satyri Satyræque venite.

Disposui fœtentem secare Nasum, S.Hieron.
Timeat, qui strumosus est.

ARGUMENTUM

Fabulæ.

Heus lector habeo, quam narrem tibi rem lepidam & hilarem, quam licuit videre sub Raptu Ecstatico in montem Parnassum,

Maxima de minimo nascitur historia.

Pica nasi (hunc titulum præ se fert tractatus Satyricus in modernum tabaci sternutatorii abusum, paucos ante annos in lu-

cem emiſſus) acri ſtylo ita pupugerat ſexûs utriusque nares tabacoprophoras, ut bilis intra illas exæſtuantis incitante ſtimulo ingens illius turba ad montem Parnaſſum provolaret coram *Apolline* & muſis ejusdem Autori de illata naribus, inculpatâ hactenus libertate gaviſis, enormi injuria litem intentans, ſupplicansque, ut non modo ille de *Pica naſi* libellus ex omni librorum cenſu ipſaque Parnaſſi Bibliotheca publica proſcribatur, ſed & Bibliographus ob violatam naſorum immunitatem debitâ pœnâ afficiatur.

Collecta igitur ad Montis Parnaſſi pedem magna intabacatorum multitudo cùm ob feſtivitatem in Parnaſſo anniverſariam ad affatum *Apollinis* admitti haud poſſet, *Mercurio* ad compeſcendos tumultus ablegato latè exponit adventûs ſui turbarumque cauſas, *Apolline* pro adminiſtranda juſtitia referendas. Qui ab eodem ad Parnaſſum reduce de cauſæ ſtatu ſufficienter informatus pro exactiore veritatis indagine jubet omnium ſub colle præſentium naſos reciſſos ad autopſiæ & experientiæ tribanal coram ſe in pleno muſarum & eruditorum conſeſſu ſiſti, ut à Satyris probè excutiantur examinentur-

que

que ſinguli, an jactitata à *Picæ naſi* autore tabacalis fœditas in naribus revera deprehendatur.

Inſtituitur ſcrutinium, & ad omnium ſtuporem varia & horrenda in cunctorum naſis deprehenſa colluvies accuſatores pœnæ reos evincit. Quocirca in utramque partem causâ diligenter excuſſâ trium judicum audiuntur ſententiæ, quibus tamen nonnihil ſeverioribus per muſarum interceſſionem rejectis ab *Apolline* concluditur: naſos ad Parnaſſi pedem à Satyris rurſum deportandos eſſe, ut quilibet naſo vel ſuo vel ad lubitum alieno recepto ocyùs & longiſſimè à monte abeat, graviore aliàs pœnâ ob excitatos tumultus caſtigandus.

Sed en *mira fides novitasqne rerum!*

Effuſis per Satyros è ſportula omnium naſis in unum cumulum, quilibet illum, quem caſus & fortuna dabat, in tumultuaria iſta confuſione ſibi vendicat, qui à celeberrimo naſorum reſtauratore *Tagliocoteo* mox agglutinatur propitio *Æſculapio*. Unde contingebat, ut nulli priſtinus rediret naſus, ſed huic minor, illi major, nulli certè conveniens aut proportionatus. Ita ut cunctorum facies non

tantùm maximè deformaretur, ſed & redderetur omnibus planè ignota.

Cum naſis hiſce inſulſis, peregrinis atque aſcititiis quilibet ad patriam, & ad ſuos redire cogitur, ſed jam à nemine, & ne à marito quidem uxor, non mater à filia, non amicus ab amico agnoſcitur. Unde querelæ & lamenta privata, & publica, communisque omnium anxia ſolicitudo, de recipiendis naſis priſtinis. Conſuluntur itaque Medici, Agyrtæ, Medicaſtri imò & ſagæ, ſed nullus naſi alieni turpitudinem tollere, & priſtini nativan pulchritudinem reddere potuit. Picographus tamen illorum ſortem miſertus, pluribus, à quibus conſulitur, adeſt conſilio & ſolatio, neminemque ſine novo naſo dimittit. Tandem, ut excitatos in inſanienti popello tumultus cautè compeſceret, ſuggerit expeditam methodum, novos & ſagaciores naſos recipiendi è fonte *Heliconio*. Cui conſilio dum unanimes parent, & ſupplicii libello *Apollini* porrecto illi naſos immergere permittuntur, nullus non de novo naſo providetur.

Naſi vera redit forma, putata perit.

Quo feliciter recepto an imposterum sobrior saniorque futura sit ista bene nasata tabacophilorum turba, tempus docebit.

Ego dedi fabulam, Vos date obulum.

Utile sit faustumque precor, quod imagine somni Ovid. 3. Fast. Eleg. 14.
Vidimus. Ast somno clarius illud erat.



EPISTOLA
CONGRATULATORIA
Cl. D.
PÆTHOLDI NARENBERGII,

J. C. & Prætoris Rhinopolitani

ad

Satyricon Autorem.

M*Issus mihi tuus de* Pica nasi *libellus*
Donum fuit gratissimum.
Vix eam perlegi, & ecce abjeci
Nasifarctricem, odoratperdam, & Muciparam
Nicotianam.
De quo ne ullum tibi restet dubium,
En veritatis tecmirion
Hæc mea, quem tibi redono, pætotheca,
Ex argento licet inaurato conflata,
Tot tamen olim spurcitiarum proma conda.
Evanuit pridem ex illa incola pessimus
Pulvis fætidus & ater.
Qui toties in naribus excitavit cloacam.
Pudet referre, sed tamen refert.
Comes illa mihi erat indivulsa,
Ad mensam, ad lectum, imò vel ad sellam
Patrocli,
Vah pudor!

Cum

XIV

Cum naso intabacato processi in sanatum,
Cum tali naso scandi tribunal,
Cum tali naso frequentavi aulam, imò & templa
Accessi Principes, imò & ipsum Deum.
Agnosco culpam, detestor fæditatem.
ô Tempora! ô nares
Idolo Stercutio *sacras!*
Hanc nasi merdiflui insolentiam
Dum iterum nunc generosè perstringis
Sub ingeniosa fabula.
Meritò tibi applaudit, quisquis emunctæ naris est.
Prô quàm acri rursum sale defricuisti
Nares sine fine prurientes!
Defricuisti multos nasos nimis, satis nullum.
Non igitur erro,
Si Satyricon *hoc* Nariscalpium *dixero.*
Inveniunt hic pætophili, etiam aliàs prudentes,
Stultitiæ documenta suæ.
Inueniunt Germanæ Batavæque nurus,
Nec noc puellæ nobiles, & nubiles
Vultûs opprobrium sui.
Invenit Momus Batavus Picomastix
Promerita nasi rhinocerotis ludibria.
Invenit lector sub ludicris seria morum documenta

Na-

Nempe ut prosis, delectas.
Sed delectando etiam nasutissimis dextrè nasos apponis.
Stupidæ Orbilii *ignorantiæ dicam scribis.*
Phantasiæ ludentis miras ostendis nænias.
Plures Artis mediæ profers abusus.
Et simul tamen omnibus applicas remedia convenientia,
Medicus Physicus & moralis.
A mundo condito nunquam ita curaratus est nasus.
Meritò igitur tibi gratulor de ingenii acumine,
Cujus sat testis est hæc Satyra.
Nasus Nicotianæ fæce repurgatus
Novæ tibi famæ gloriam pariet in orbe literato.
Utinam sæpius talis te rapiat ecstasis,
Quò ex Parnasso novellas nobis recenseas,
Alter Boccalinus.
Saltem diutius publico noli invidere
Rarissimum artis Chymiatricæ opus
Helmontium *tuum* Ecstaticum,
Non sub Virgula Morphei *soporifera*,
Sed Vulcani *candente tibi enatum.*
Ex quo Respublica cognoscet literaria,
Te in pervestigandis artis & naturæ arcanis

Ar-

Argum *esse*, *non* Emdymionem.
Vale Vir doctissime,
Meum Musarumque delicium,
Tui nunquam non memor Narenbergii

Sub nomine latitantis
Amici.

N. N.



A D

AD ZOILUM.

Zoile si tibi volupe est Satyrorum carpere lusus,
Fac modò. Nasicidii necdum finita scena est.
Adhuc parati sunt & tibi nasum abscindere aduncum,
Illiusque Atrabiliosam expurgare amurcam.
Prô quis tum eris sine naso zoilus!
Nil nisi ridiculi sine nare larva Pasquini.
Noli igitur irritare Satyrorum ungues,
Nimiùm acutæ sunt.
Non tantùm pungunt, sed & lacerant.
Caveto, si sapis, istos vindices.
Fidem negas?
Attenta, si lubet, lacesse,
Naso privatus abibis.
Canam tum ego ridens:
Ad Imit. Mart. l. 12. Epigr. 90. *Zoile habes nasum quondam, scio: non nego. Sed jam*
Amplius haud nasum Zoile turpis habes.

ERRATA TYPOGRAPHICA

Quæ absente Autore irrepserunt, Lector benevolus sic corriget:

Pag. 1	*lin.* 21	*ruminabat*	*lege* ruminabat
3	— 10	*ex*	— est
4	— 3	*ex*	— est
	— 23	*tadas*	— ladas
5	— 6	*Co spicio*	— Conspicio
	— 13	*volatis*	— volutis
6	— 24	*taurus*	— laurus
7	— 12	*justeque*	— justoque
8	— 8	*alciarias*	— alicarias
9	— 31	*Bibiothecam*	— Bibliothecam
10	— 12	*margenisatique*	— mangonizatique
17	— 10	*nasi*	— nasis

In nota marginali leg. Sybilla ad Æneam.

19 *lin.* 8 *leg.* Complexionis cholericæ indicia.
— 31 — nullumque dubium vel ob hanc causam hunc hominem &c

20	— 5	*fetecis*	— letosis
	lin. ultima	*lazario*	— larario
21	— 23	*Oenopona*	— Oenoposiæ
23	— 26	*deleatur punctum-*	
24	— 27	*regioue*	— regione
25	— 6	*opponere*	— apponere
	— 10	*muccorum*	— mucorum

26 *linea ultima leg.* fulget ut

29	— 5	*fouicarii*	— foricarii
30	— 3	*prophylaction*	— Prophilacticon,
31	— 16	*enhymoma*	— ecchymoma.
32	— 13	*tamarinaque*	— Camarinaque
34	— 4	*lege* nasos. cur?	
35	— 6	*fictitium*	— fictilium
39	— 11	*tanta*	— lauta
	— 23	*rostris*	— rastris
	— 26	*sedquis*	— sed quid
40	— 13	*muncia*	— mumia
	— 22	*squalliti*	— squallidi
41	— 3	*unitus*	— unctus
43	— 14	*habet*	— habeat
45	— 30	*mimia*	— mima
47	— 19	*congere*	— congerere
	— 21	*Terp-Sythore*	— Terpsychore
48	— 6	*dicere*	— ducere
	— 13	*tam*	— jam
	— 26	*pica*	— picæ
49	— 25	*Nerely*	— Neroly
50	— 16	*d'lorine*	— de l'orine
52	— 28	*andiri*	— audire
53	— 7	*devoterum*	— Devotarum

Pag.	lin.		
Pag. 53	lin. 9	*instanre*	*lege* instante
54	— 22	*hamophte*	— hæmopthoë
	— 28	*aptius*	— istius
	— 32	*Credant*	— Credunt
55	— 8	*indocta*	— inductæ
	— 13	*usurpate*	— usurpato
59	— 14	*vium*	— virum
63	*lin. ultima*	*ipse*	— iste
64	— 7	*elassicum*	— classicum.
68	— 16	*gessu*	— gressu
71	— 17	*se porte*	— le porte
73	— 1	*cum medicamento*	— cum in medicamento.
74	— 3	*submissime*	— submississime
76	— 20	*reddet*	— reddit
78	— 23	*leg.* resnota urbi	
80	— 27	*non in sitione*	— nasi insitione
81	— 21	*lyaci*	— lyæi
84	— 28	*brevi*	— brevis
85	— 6	*leg.* non humillimæ scientiæ.	
86	— 17	*genus*	— genas
87	— 5	*proare fueras*	— proavo non fuerat.
91	— 12	*recipies*	— recipier.
92	— 15	*leg.* id quod	
	— 25	*obiis*	— abiit)
93	— 14	*gessari*	— grassari
95	— 3	*utriumque*	— utriusque
99	*ad marginem deleatur* Virgilius		
102	— 14	*gloriosam*	— gloriolam
	— 23	*tectum*	— lectum
103	— 1	*Bereventanus*	— Beneventanus.
104	— 13	*artificiore*	— artificiose
106	— 5	*cujus*	— cujas
	— 19	*ultra*	— ultro
108	— 13	*jam*	— tam
109	— 12	*Consultus*	— consuetus.
111	— 5	*Delphica*	— Delphico
	— 24	*lege* ad omnem limam perpolitum	
	— 30	*an ille*	— at illa
112	— 12	*adde omissa*: præpotentem, quæ brevi tempore nasi fæditatem & magnitudinem	
115	— 1	*excludenda*	*lege* excudenda
118	— 27	*apotemata*	— Apozemata
119	— 6	*Consiliis*	— Consilio
	— 30	*si*	— sit!
122	— 18	*are*	— aëre
124	— 27	*Medicis*	— Medicus

In appendice Verbo nares *lin.* 26. *lege*: Aurigine tinctæ galbuli conspectum exigunt.

Ibidem. *lin.* 29 *Satyri. leg.* Latini.

Vocabula noviter inventa lusus Satyricus excusabit.

RAP-

RAPTÛS ECSTATICI IN MONTEM PARNASSUM, SIVE Lusûs in nasos Tabaco prophoros Satyrici

PARS PRIMA.



Onsidebam in Musæi solitudine junctus sapientibus, qui suavissimi contubernii necessitate adstricti habitant mecum, & muti rerum magistri audiunt. Loquebatur mecum, ut sæpius solet, ore stoico Romanus Sapiens, & profundiori meditationi suggerebat suos olim ad *Lucilium* conceptus, *quomodo exprimendus sit humanæ vitæ mimus.* Revocabat unà in memoriam illud ex *Anthologio* Lipsianum: Epist. 80.

Scena est hæc vita & mimus, vel ludere disce,
Seria postponens, vel Cruciare miser.

Prolixiori cogitatione ruminabat mecum quæstum illud Cæsaris *Augusti* morituri: *Ecquid hunc mimum vitæ satis commodè egisse viderer?* Inprimis cùm mundus omnis juxta *Petronium*

agat hiſtrioniam. Apprehenderam jam calamum hoc ſuper argumento quidpiam chartæ commiſſurus, tametſi adhuc ambigens, quænam mihi modò eſſet accipienda & ſuſtinenda perſona, num ſcriptoris Phyſico-Medici num verò Hiſtorico-Politici. Utriuſque enim partes aliquando, ſi vita ſuppetat, adhuc mihi vel ex promiſſis publico factis abſolvendas eſſe recordabar. Et ecce in ſummo ſilentio conſtitutum turbat ad fores manu impulſas ſonitus. Jubeo elatâ voce intrare, ſi quis affatum peteret. Ingreditur *Mercurius* Apollinis & Muſarum Nuncius Virgunculam eleganti indumento, & quidem candidiſſimo auro intertexto veſtitam manuducens, quæ me vix viſum hiſce verbis blandulè compellat:

Salve mi Pater.
aDsVM nVnC pICa gnata tVa.
Quid præ mei Weſtphalis inuſitato nitore & fulgore obſtupeſcis?
Redeo ex thule Batavica
Abs Amico tibi chariſſimo.
Tuique amantiſſimo
Henrico Parlherbeo,
Qui in æternum tui Mnemoſynon
Hac me tam Variegatâ veſte donavit.
Teque millies ſalvere, & Pancraticè valere juſſit. *

Agnoſco ſtatim vel ex fronte gnatam, nuper ad Batavos à me miſſam, & typi nitidiſſimi veſte

* Verba ſunt, *Picæ naſi* tum primùm editæ, Exemplari elegantiſſimè Amſtelodami compacto, & ad authorem miſſo, amicitiæ teſtificandæ ergo abs amico inſcripta.

veſte nunc indutam. Dudum exſpectata venit, nec paternis diſplicet oculis, tametſi non paucis eam hinc inde nævis (menda typographica intelligo) præter ſpem fœdatam non ſine diſplicentia animadverterem. Compellavi humaniſſimo affatu *Mercurium*, & ſollicitè indagavi, quæ prolis hujuſce meæ apud Batavos fata extitiſſent. Num apud Eruditos in gratiam veniſſet, & an non amaſios ibi nacta fuiſſet? Nacta & inquit *Mercurius*, ſed nec minus inimicos atque perſecutores numero longè plures, eò quòd teutonico nata ſanguine oras ſubiens Batavas morem tabaci naſalis prenſandi hodie gratiſſimum, & civitate ubique donatum audacius perſtringere non reformidârit. Novum quod illi impoſuiſti *Picæ Naſi* nomen criticis non æquè omnibus arriſit: Inprimis ſtupidis & ſemiliteratis viſum eſt ſubobſcurum. Scribendi iſta libertas naſis tabacoſorbis, maximè fœminarum, nequaquam placuit. Fortaſſis harum ſenſus ſubtilior læſus excitabit nonnullas, quæ te ad Apollinis tribunal evocabunt, & ex Eruditorum albo, *Picam* verò tuam ex Parnaſſi bibliotheca publica proſcribi poſtulabunt. ſic fert fama. fides ſit penes referentes. Tute autem ſcies, quid hoc negotium à te exigat. Hæc *Mercurius*. A quo porrò percunctabar, quid in Parnaſſo novi contigiſſet, quanto tempore jam ab eo abeſſet, potiſſimum autem, quodnam ibi de *Pica naſi* fuiſſet Criterium, curioſiùs ſiſcitabar. Eximium ſanè, ait *Mercurius*. Non ita pridem in ipſo Muſarum omniumque Montis Aonii domeſticorum ampliſſimo conſeſſu eam publicâ lectione honorari

fecit *Apollo* fortaſſis quòd ſuſpicaretur etiam illorum nonnullos geſtare Pixidem tabacariam. Inſerta deinde & Bibliothecæ Parnaſſi publicæ loco non poſtremo. Bene hæc habent, inquam, nec leviter animum erigunt adverſus caſum litis ab inſana *Intabaccatorum* turba intentandæ. Nullus dubita, reponit *Mercurius*. Habes tibi Apollinem & muſas faventes. Ille nuper cum his convivando lætior non ſemel inter jocos eam honorifico laudis thyrſo percuſſit. Titillabat animum hæc *Mercurii* relatio, quem aliò feſtinantem cum gratiarum actione plurima, & exemplarium aliquot inter Parnaſſi amicos diſtribuendorum dono dimittebam.

Jam verò intenſa mentem ſubibat cogitatio, quomodo ipſe ad Parnaſſum iter facerem, & accuſatorum impetus præſens exſpectarem atque eliderem; verùm non patebat itineris longioris conficiendi ratio, eò quòd non niſi per ardua eò via duceret. Suſpirans ingeminabam:

O ſi tadas Ego, pennipeſve Perſeus,
Aut ſi Pegaſeo ferar volatu.

Quam celeri alâ ad montem bicipitem provolarem! Ingens igitur animum diſtrahebat ſollicitudo. Et ecce tandem me curis cogitationibusque feſſum ſivè ſomnus ſivè Ecſtaſis corri-
Joël 2. pit, (*Seniores ſomnia ſomniaverunt, juniores autem viſiones viderunt*) & omnem rerum per ſenſus externos perceptionem ſuſpendit.

Ce-

Celer per auras Mercurio duce
Excelsa cursu nubila permeo,
Terrasque despectans, relinquo
Westphalicos Batavosque fines.
Jam jamque retro Carpaton, & procul
Frontem, petiti corspicio jugi,
Præterque spem jam tango præsens
Aonii juga bina collis.

Quis tum mihi subitæ lætitiæ impetus? Admittor haud mora in intimius Parnassi Palatium acceptus hospes, ubi Virorum Eruditissimorum olim ex imaginibus notas facies offendo, quos huc illucque volatis oculis avidissimè observare summa erat voluptas.

Dum feror in somnos, meque alta Poëtica nubes
Obsepit, vidi mira, aut vidisse putavi,
Fas vidisse fuit: fas sit mihi visa referre.

Iac. Bald. in Antagath. n. 23

Fecerat Parnasso solennes annuasque ferias absolutus labor. Librorum namque inmensâ copiâ recenter è prælo exeuntium censura & scriptorum Parnassi albo inseri & immortalitati consecrari postulantium examen *Appollinem* per plures dies fatigaverat. Quippe in epidemica hodie scribendi cacoëthe, & ex ea indies nascente Voluminum inexhausta voragine (nam

Facile est componere versus,
Difficile est libros æquali volvere rhombo.)

nisi penes Parnassi Principem staret arbitrandi authoritas, libri spurii parente plagio leviter

nati, seu potius adoptati cum libris ex cerebro Eruditorum operosè & quasi cum Pallade non sine tormento enixis parem Dignitatis & meriti sortem subirent. Hisce negotiis tantisper exemptus *Apollo*, ut animum sibi musisque relaxaret (*amant alterna camænæ*) imperat barbita tendere, & festivâ ode novis in Parnassum adscitis applaudere.

Pandite, ait, *nunc Helicona Deæ*, *cantusque movete*.

Polihymnia igitur & *Clio* junctis cum voce suavissima barbitis in gratissimum conspirabant melos, & inter alios hosce à Lyrico celeberrimo olim compositos versus concinebant, quos paucos memoria rerum in Parnasso observatarum multitudine tantùm non obruta adhuc suggerit:

Turpe est perire in otio. Fortes amat
Apollo mentes, desides odit manus
Emarcidasque gratias. Cedant croci,
Cyparissulique, liliorum & nectaris
Lacte educati. Palladis præda est honor.
Honor teneri dexterâ imbelli nequit.
Nec dormienti taurus in frontem venit,
Nec honesta fama languido. Si cui labor.
In pertinaci plurimus calle sedet,
Socius Minervæ laudis in partem venit.

Dulcedo tam vocalis quàm Instrumentalis Musicæ miro temperamento mixtæ universum implebat collem, quam Echo non ingratâ reci-

ciprocatione geminabat. Summè attentos reddiderat omnes. Harmoniæ ſuavitas, ecce derepente in valle Parnaſſi oriri tempeſtas, audiri tumultus, reboare fragor, & incertis vocibus multiplicari clamor inconditus,

Ac veluti magno in populo cum ſoepe coorta eſt Virg. 1. Æneid.
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Crediſſes præſentem militum legionem armatâ manu jam jam incurſuram Parnaſſum. *Apollo* improviſâ hac maleferiatorum inſolentiâ tantum non exterritus, juſteque furore excandeſcens (*non ſemper ridet Apollo*) ſic muſas affatur:

Quis furor ô muſæ, quæ tanta licentia genti
Hactenus inviſæ, noſtros turbare penates,
Impiaque in medio meditari bella triumpho?
Juro Jovem lapidem, me nemo impune laceſſet.
Mercuri ades, ſubito explora, qualiſne popellus
Has moveat turbas.

Mercurius juſſa excipiens citato pede Parnaſſum deſcendit, ubi variæ conditionis, ſtatûs, ſexûs, ætatisque multitudinem congregatam inſanoque tumultu frementem offendit.

Dant fremitum furiuntque omnes, hic undique clamor Adimit. Virgil. 11. Æneid.
Conſenſu magnus miro ſe tollit ad auras.
Haud ſecus atque alto in luco, cum fortè catervæ
Conſedêre avium, piſcoſove amne Paduſæ
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.

Mercurius curiosè circumſpiciens non tantùm Domicellas & ſplendidioris ſortis viragines *Nezulam*, *Petillam*, *Pætobarbam*, *Beccabellam*, *Galantheam*, pluresque alias omnes capſulis Nicotianæ promicondis inſtructas, & ſtrenuiſſimè naſo litantes, ſed inter illas quoque
Plaut. Sceñ. 2. Act. 1. Panul. non ſine ſtupore obſervat *Proſedas*, *piſtorum amicas*, *reliquias alciarias miſeras*, *ſcœno delibutas ſervolicolas*, *ſordidas* corpore & naribus. Hæ namque non minùs atque illæ de naſis offenſis queritaturæ venerant, & cum ingenti virorum turba iſtam *Intabaccatorum* ſynodum conſtituebant.

Mercurius mox ferventi turbæ ſilentia facit majeſtate manûs, & tanti tumultûs cauſam exigit. Ad Apollinis ſolium admitti omni & unâ voce poſtulant, ſic maximi momenti cauſâ urgente. *Mercurius* annuæ in Parnaſſo feſtivitatis ſolennia aditum haudquaquam concedere reponit. Oretenus ſibi quid peterent, referri, aut ſcripto etiam conſignatum exhiberi mandat, ut *Apollini* muſiſque tantæ ſeditionis & æqua cauſa & excuſatio pateſcat, aliàs futurum, ut debitâ pœnâ ſeverè in ſingulos animadvertatur. Tum omnes ſpreto gubernatorum imperio majore rabie fervere (laxatas à lupatis tygrides dixiſſes) & juſtiſſimam tumultûs cauſam
Virg. 2. Panul. proclamare. *Idem omnes ſimul ardor habet.* Nonnemo & ſtaturâ ſpecioſior & naſo obeſior, qui cæterorum antiſignanus, & jurgiorum Procurator audiebat, ſic incipit effari. Magna Deûm progenies & Apollinis legate *Mercuri*, non noſtra, ſed Medici Germano-Saxonis temeritas huc ad Parnaſſum nos compulit, juſtâ

re-

recentis indignatione facinoris permotos. Hic non ita pridem Commento planè Satyrico sub insolenti Dissertationis de *Pica nasi* inscriptione nasi nostri hactenus exlegis illibatam libertatem incessere est ausus; neque tantùm nos viros pulvere tabaci nasalis sine cujuscunque hactenus interdicto & calumnia usos acri sarcasmo perstrinxit, sed & sexum longè nobilissimum, delicatas nostras fæmellas & filias, veras nostras, & orbis Batavi delicias, eodem nasi privilegio nobiscum jure gaudentes, publico ludibrio exposuit, ut nunc passim apud cujuscunque gentis Lectores indignissimo risu traducantur. Primam lucem libellus aspexit Amstelodami obstetricante Ostervicio bibliopolâ, & quidem, ut suspicamur absque licentia & approbatione summi *Apollinis*. Omnium jam teritur manibus, in ore versatur, legitur in curiis, hospitiis, symposiis, in urbibus & oppidis, in navibus. Undique per universas Belgii Provincias volitat, imò ad exteras jamtum nationes, in Germaniam, Galliam, Angliam, & quod certis relationibus novimus, ad utramque Indiam celerrimis itineribus provolavit. Ubique gentium & locorum, ut olim Auris, sic nunc nasus Batavorum indignâ satyra proscinditur. Imò quod majus est. Ut non literatis dumtaxat, sed & indoctis hæc in nasum convitia innotescerent, alius longioris nasi excerptor picâ loquacior consarcinatum ex libello compendium idiomate vernaculo Librorum Syllogi (Bibliothecam appellant) pari protervia inseruit, suasque nugas attexuit, ut jam non nostræ modò omnisque nationis literatis, sed & rudi in Bata- Boekzaal der Geleerde Wereldt Jan. 1717.

via popello, imò vel ipsis Agrestibus ad stivam (nam & his sua sunt tabacophylacia) nasus noster fabula fiat atque ludibrium.

Plura ore spumante dicere parantem interrumpebat homo conditionis, ut videbatur, proletariæ. Quid? ait, non hoc unicum, quod inde emergit damnum est. Ego meæque tribûs spectatissimi sodales, tot jam lustris pulverum nasalium institores à pauco tempore ingentem quæstûs jacturam fecimus. Non amplius in pretio apud nostrates sunt isti, tanto ingenii labore à nobis conflati margonisatique Nasorum pulveres. Innumeri de horum in sanitatem damnis per scriptoris rationes moniti, & tantùm non persuasi jam moderatiùs imò rariùs iis utuntur, ut metus sit, ne tandem penitus desuescant. Novit ille Microcosmus Urbs nostra *Amstelodamum*, novit *Harlemia*, *Haga Comitis*, *Alcmaria*, novit universus orbis Batavus quantas hactenus gratias apud utrumque sexum obtinuerit pulvis meus nasalis, publico præconio in foro, plateis, in ædibus tam nobilium quàm civium divenditus, quas fere penitus illi detraxit imò, quod rei caput est, etiam ipsum mei meæque simiolæ Ectypon libelli frontispicio sculptor præfixit, ut major ludibrio ansa daretur. pro Jovem! Mecastor jam

Persius. *Calido sub pectore mascula bilis*
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.

Universus cruor ebullit in vindictam si illum hîc præsentem..... Hoc dicto vox faucibus hærebat, iracundiâ linguam stringente & spiritus com-

comprimente piſcis inſtar obmuteſcebat.

Quod ſilentium mox Amazoni Batavæ. *Notæque per Oppida buccæ*, os apprimè facundum laxabat in has voces: Habes *Mercuri* æquiſſimam querelarum rationem, quarum magnitudinem porrò auget etiam, ſexui noſtro illata injuria. Dii Deæque! Hæc ne eſt illa nobis debita reverentia? non neſcis, quàm, delicatus fæmellis Batavis ſit ſenſus, & qui proin illis reſpectus ac veneratio à maritis deferatur, ne animus noſter eo rapiatur impetu, cui pacando tota domus vix ſufficit, ita ut furor nobis non rarò audaciam & ſubitas pugnas inſpiret, nam

Juvenal. Sat. 3. l. 1.

Quæ Hollanda vèlit mulièr ſubmittere faſces?

Non ignota hæcſexûs noſtri indoles fuit Scriptori, & tamen hunc audaci calamo non eſt veritus laceſſere. Sed an impunè? Herculè non impunè. Utinam hîc coram foret, unguibus hiſce meis oculos illi eruerem, aut ſaltem ejus togam hac meâ forfice in mille fruſta diſciſſam & diſcerptam juſto furori conſecrarem. Barbulas & Myſtacem nobis affinxit, fætorem neſcio quem Leoninum, & ferinum naribus ſubdidit, innocentiſſimaſque noſtras *tabatierculas* ſalſiſſimè perfricuit. ô temeritatem non niſi ſeriâ ultione vindicandam! Dii me! niſi Exemplaria Diſſertationis de *Pica naſi*, quotquot in noſtris Bibliopoliis extant, meis nummis coëmpta piſcibus coquendis deſtinavero, & ex glorioſo hoc buſto nomini meo æternitatem fuero fœnerata. Longiùs protervæ linguæ volubilitate

accu-

accusationis filum erat protractura (*nam vindictâ nemo magis gaudet quâm fœmina*) nisi Juvenalis. *Mercurius* jam satis esse querelarum innuens, utut plurimis adhuc reclamantibus, & omnibus vago murmure adfrementibus, celerrimis talariis Parnassi verticem repetiisset.

Palatium vix ingressus præmissâ pro more reverentiâ tumultûs tam intempestivi & insolentis causam *Apollini* atque Musis longâ exspectatione suspensis hac oratione exponit. Magne Musarum pater & vos generosissimæ *Pierides* nescio me herculè an præsentis diei solennitas permittat, eum vobis quærelarum cumulum & conviciorum molem exponere, quibus me ad vos reducem gravavit ista tumultuantium, imò fere insanientium multitudo, & quidem ob negotium risu potiùs quàm indignatione dignum Ad nasum enim tota spectat contentio, in nasum Virilem, Juvenilem, fæmineum, virgineum ascendit efferata bilis. Gryphos, *Apollo* ait, *Mercuri* loqueris. Citra ambages brevissimis rem totam expone, ut lite quantocyus compositâ insani popelli turba à limitibus nostris procul abigatur. Res hæc non adeo facilis est componi, inquit *Mercurius*, nam & de tuo ipsius honore agitur. Nôsti *Cohausenum* Medicum Germanum jam dudum à te, annuente Musarum Choro Eruditorum albo insertum, diversa varii argumenti scripta orbi literato communicâsse, quæ à te approbata dignaque æstimata sunt, ut non tantùm lucem, sed & æviternitatem videant. Neque etiam tibi non notum est, ejusdem publicæ hic nuper censuræ subjectum opusculum de tabaci sternutatorii moderno abu-

abusu, cui *Picæ nasi* titulum præfixit, quo pessimum istum pulveris nasalis prensandi morem utrique sexui hodiè communem acri stylo transfixit, in nullius tamen famam injurius. Non fert hæc æquo animo tabaci nasalis tam institorum quàm amatorum turba, de damno & injuria pari contentione conquerens, atque in Autorem arma movens & vindictam; ita ut vel contra ipsum Parnassum in arenam descendere minitetur, nisi jussu tuo tractatus iste ex librorum numero, ex omni bibliotheca & bibliopolio perpetuâ relegatione facessat. Querelas hasce multis conviciis accumulant, & nescio quid insani furoris spirant, ut nisi maturè hunc æstum tuâ authoritate compresseris, in manifestam flammam sit erupturus. Hic rei cardo est Auguste *Apollo*. Cœteras maleferiatæ multitudinis Nænias hîc ad longum retexere operæ pretio haud dignum videtur. Tu expeditum noveris remedium.

Apollo throno exiliens & præ indignatione *abjiciens Cytharam radiosque à fronte retundens* sic fatur. Libellus de *Pica nasi* bono publico apprimè utilis & nostrâ authoritate approbatus perpetim maneat in literarum imperio. Quod Decretum est non immutandum. Quidni autem importunæ & insanienti catervæ meritò succenseamus, & quantocyus aut jovis postulamus fulmina in eam vibranda, aut ipsi arcum, quo olim serpentem Pythium transfiximus, in eorum capita tendimus. Peccavit & adhuc indies peccat nasus, quidni promerita satyrâ strenuè defricetur, imò vel ob hanc temeritatem novis stimulis pungatur? Debetur

ho-

hodiernæ lūcis festivitati publica hilaritas, & Mūsis coeterisque amicis præsentibus animi relaxatio, quam nolumus litigantium jurgiis turbari. Ideo tametsi justâ vindictâ in vesanam multitudinem grassari possemus, decernimus tamen motos componere fluctus, & Comædiam ludicrâ scenâ claudere. Explorandum erit, num nasi fontis aut insontis æquæ aut iniquæ sint querelæ. Narium inquirendus est status, an sit quem nobis graphicè depinxit autor ut in re maximè intricata justam feramus sententiam, & hunc, si falsi crimen nasis affinxerit, aut etiam illos, si rei fuerint comperti, dignâ pœnâ castigemus. Nolumus igitur tumultuantem turbam ad nostrum tribunal admitti. Sed tu *Mercuri*, fac actutum hic præsto sint omnium sub monte præsentium ferocientes nasi, quò eorum examen & viva Anatome sicque exactissimum causæ fiat scrutinium. Duos tibi adjungi volumus satyros (hoc dicto hi subsultim tripudiantes ganniebant) qui omnium nasos tam pumiliones quam gigantes cujuscunque demum sortis huc ocijus asportent.

Haud mora *Mercurius* comitantibus satyris montem descendit, ubi subito interquievit tumultuantium clamor; magnâ enim jam exspectatione suspensi Decretum *Apollinis* favens sibi pollicebantur. Quod *Mercurius* paucis indicabat hoc esse, ut pro judicio æquiùs ferendo omnium nasi satyris tradantur, & ad *Apollinis* tribunal sistantur. prô quæ mox consternatio! cohorrere omnes, & nasi aliquo saltem tempore privatione inconditam vultûs formam meritò metuere. Verùm sententiæ triumphantis spe

ſpe rurſum erecti lubenter naſos offerebant. *Mercurius* Satyrorum grandævo Naſicidii officium demandabat. Dii immortales! ſic hic ait, *ut ego naſos prætruncabo novaculâ! quanta iſtis peſtis veniet? quanta labes vultui? quanta formæ abſumedo? quanta genis calamitas? quanta mihi laſſitudo? quanta meæ aſinæ?* Satyrus itaque geſtans novaculam retuſam (qualis pueris diſcentibus audaciâ tonſoris dari ſolet) ſemel iterumque naſos percutit, qui ante pedes collabuntur.

Ad Imit. Plaut. in Cast.

Tum jurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus, & tuba rixæ
Dêhinc clamore pari concurritur. In facie omnis
Sævit juſſa manus Satyri. Sine vulnere malæ
Vix cuiquam. Nulli naſi ſua forma ſuperſtes
Integra. Conſpiceres jam cuncta per agmina vultus
Ridiculos, alias facies, & hiantia demptis
Naribus oſſa, duo ſaltem naſi antra relicta.
Ludere ſe incipiunt ipſi tamen, atque protervos
Exercere jocos, hic quòd ſive ille ſit autor,
Quòd naſis ſpoliata ſuis ſit tota caterva.

Ad Imit. Juvenal. Satyr. 15.

Obſervaſſes lepidum ſpectaculum. Videbantur omnes quaſi apud Scythas pernoctâſſe, quorum erat improbitas, ut cunctis ad ſe divertentibus nares præſcinderent. Si fœminas iſtas naſo ſic ſpoliatas *Locrenſis* Græciæ populus ſpectâſſet, nulla adulterii notam fugiſſet. Lex enim *Zaleuci* erat, fœminis adulteris naſum amputare. Imprimis verò riſum movebat ſingulorum mira ſollicitudo, quomodo naſum notarent, ut dein proprium reciperent. Nemo non trepidabat

bat, ne ſuppoſitus veniret. Erant qui extremò poppysmo naſo litabant, eique pulveris ſternutorii peculiaris portionem ingerebant, ut hoc indicio in ejus priſtinam pervenirent notitiam. Erant inter mulieres quæ certum Emplaſtrorum ex nigro ſerico (mouches vocant) numerum naſis futurum diſcrimen agglutinabant. Aliis ſat manifeſta vel à variolarum ſtigmate relicta veſtigia, vel impreſſi à Baccho in uvas naſales regerminante botri facilem agnitionem ſpondebant. Aliis fætor *madidique infantia naſi* ſignum promittebat. Nonnulli abjectioris animi naſo extremum vale non ſine ejulatu dicebant. Qui pervicaciores erant, non naſos dumtaxat, ſed & ora & linguam unà in Parnaſſum deportanda offerebant, ut hæc illorum patrocinium coram *Apolline* agerent. *Honoria* fæminarum delicatiſſima clamabat: *Salva ſit huic naſo reverentia.* alias Nænias tacemus.

Adduxerant Satyri claudam *Sileni* aſellam, cui utrimque ad latus pendebat ſportula cancellata, in quam naſos omnes collectabant, atque ita diſponebant, ut eorum apices per foramina foras proſpectarent. ô curioſiſſimum ſpectaculum! ô corbem naſutiſſimam! Satyri prædâ læti, ſalientes & ludicrè motitantes *ſequacis pendula caudæ* petebant Parnaſſi culmen, in via tamen naſis fumum tabacinum ſacrificantes.

Corbibus impoſitam prædam vectabat aſella. Currebant circum ſatyri. Unus tympana pulſat: aſt buccas alter mirè inflat & intonat altè:

Naſi,

Nasi, nasi, nasi,
Nasi magni, breves, longi,
Simi, alti, & diphthongi, *
Varii, omnigeni,
Nasi, nasi, nasi.

Ipse *Mercurius* non tardè movebat alipedes. Sparsa subito fama totum occupabat Parnassum. Accurrunt sub æstu novitatis, nunc stupore nunc risu reciprocante montis incolæ, & *Apollini* denunciato *Mercurii* cum nasi reditu, mox ordinariæ campanulæ signo ad consessum & spectaculum Musæ cœterique Eruditi convocantur. *Apolline* in tribunali considente istorumque quolibet suum occupante locum jubetur intrare *Mercurius*, qui sic fatur. En illustrissime Parnassi Præses præsto, quos jussisti afferre, turbæ tabacariæ nasos. Exspectamus quid iis fieri jubeas. ô quis inter omnes titillanti de pectore risus! quæ lætitia, talem præsenti festo spectaculi occasionem dari, quod inprimis novitate & rei insolentiâ omnium oculos & animos pascere quasi natum esset. *Est sanè lepor ista tueri.*

Bene est ait *Apollo.* Et *hoc ista sibi tempus spectacula poscit.* Volo te *Mercuri* tuosque Satellites Satyros, quibus apparitorum officium hodiè committo, hac curâ defungi, ut in nostro omnium conspectu nasos singulos ordine extrahatis, eorum interiora perlustretis, excu- Dixit olim Sytilla Æneam.

B tia-

* Sic dicti, quod ex duabus naribus sternendo vocalibus componantur. Vid. Diss. de Pica Nasi p. 81.

tiatis, & publicè ad oculum demonſtretis, num in iis jactitata ab Authore *pica naſi* fœditas Stabuletur, quò æquitati ſententiam conformare liceat. Et vos Aſſeſſores veſtri muneris erit cuilibet naſo debitam criſin adjungere. Denominabat autem *Rhinocritum* Juriſconſultum, *Dietetum* Medicum & *Peticaſten* Poëtam, ut judicum partes agerent. Ipſi quoque Parnaſſi *Moroſopho*, cui cultiſſimi erat ingenii amænitas, dabatur licentia, ut ore liberiori ſuas depromeret facetias. Qui profundiſſimâ reverentia, id muneris acceptans, exequar, ait, quod præcipis, diligenter, Putabo enim me

Parnaſſi Schalks-Narr.

Germano-Batavos pretio purgare caminos.

Mox variè geſticulans faceto cantu hoc præludium adornabat:

Nunc adeſte rurſum naſi,
Emungemus vos vel quaſi
Ab antiquis ſordibus.
Hæc lux dabit novum luſum
Nicotianæ in abuſum
Scenis jocularibus.
Satyri purgabunt nares
Vobis Bertæ, vobis mares
A tabaci ſpurcitia.
Naſos, cœni qui capaces
Naſos, pæti qui rapaces
Scena ſiſtet ludicra.
His vos viſis & ridete,
Et excuſſis, obſtupete,
Quanta inſit fœditas.

Plura

Plura meditabatur Archimimus. Sed expeditus ad jussa *Mercurius* è sportula nasum educit primæ magnitudinis, cui rubeus color erat

Mediisque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum stillans Ozæna.

Hem videamus, ait *Dietetus.* Huic naso insunt complexiones cholericæ, à quo utique reliqua faciei forma non abludet. Nam ex nasi figura, optima est complexionum inventio, ut Physiognomiæ præcepta nos docent. Dubito sanè, respondet *Apollo*, an de nasorum signaturis vera & comperta nobis referat ista scientia certè ait *Peticastes:*

Isthæc an nescis? quot non facit omina nasus?
Simus amat. Pandus fallit. Suspectat acutus.
Magnanimum longo dignoscas, flante ferocem.
Præsignat Crassus stupidum, timidumque rotundus.

Et mihi hoc verisimile est ait *Rhinocritus*, nullumque dubium, vel video hunc hominem in lites & contentiones ita maximè propendere, ut etiam de pulvisculo intra nares tantos tumultus ad Parnassum suscitare non sit veritus. Sed interiora scrutemini, ait *Apollo*, in iis enim quæstionis cardo versatur. *Morosophus* nasum manu elevans, *Vah* ait *nares speluncis similes latebrisque ferarum.* En in extremis antri nasalis cubat camarina. Quæ non fœces hærebunt in intimo lazario? Satyrus piloso caudæ

apice ſcalpit nares, & en ingens mox quantitas tabaci aterrimi provolvitur. Pergit altiùs ruminari, & pulveris colore multiformi non minor portio ſequitur. Erat enim naſus quodlibeticus. Intruſis adhuc profundiùs ſetocis ſcopulis etiam induratæ tabaci cruſtæ confertim expelluntur.

Vix riſum Clio tenebat
Muſa leporis amans, & Sannio naribus uncis.

Prô naſi heteroclita ait! *limaces calidis naribus excoquit.*

J. Balde. *Serpens reptaret pulvere in iſto,*
Spirasque occuleret, nova colligeretque venena.

Hic naſus helluo, *evacuat modios atomisque toreumata plena.* Næ hic ipſiſſimus ille eſt tri-
P. 51. plicis contignationis naſus, nuper à *Picæ naſi* autore Satyrâ, nunc reapſe à Satyro perſtrictus.

Satis eſt, inquit *Apollo*, naſus hic inveſtigatus. Faceſſat hinc olidiſſimi hominis inſaturabile fruſtum. Natura paucis contenta, non hodie naſus. Qui veluti paraſitus omnibus inhiat capſulis. Alium in medium producas *Mercuri*, ne in primo nimium temporis conſumamus.

Mercurius alium extrahit vultûs toroſi gnomonem. Directus erat, obeſus, tumidus, & eximiè rubicundus. *Morio* ait:

Balde. *Non eſt tumor iſte pudori*
Martius eſt, quæritque viros, uritque decorè.

Hic

Hic complexionis eſt ſanguineæ, inquit *Dietetus.* Quicunque talem naſi diſpoſitionem obtinet, eum laſciviæ addictum de voluptate melius quàm de virtute judicare ſanciunt Phyſionomiæ leges. Unde haud dubium eſt, eum pulvere naſali omnium hodie converſationum condimento gaudere. Tu Satyre cape experimentum. Hic ſtylo ſetoſo verrit abſtruſos receſſus. Ha! ha! exclamat *Moroſophos.* Hic lepus in nido. Ingens tabaci Hiſpanici moles educitur. Et hic inquit *Apollo* ſe ipſum ſat prodit ſorex. Non opus eſt ulteriori teſtimonio. Erat autem *Suillii Gaſtrimargi* naſus.

Mercurius è ſportula ceu quadam ſortis urna pergit naſum educere, ſeu potiùs naſos; naſum puta decumanum, multis parvis undique excretis naſulis fœtum. Ab eo enim quaſi trunco plures naſorum ſtolones luxuriabant. Hi ſoboles ſunt ait *Dietetus* uvarum novâ palingeneſiâ regerminantium. *Naſus vite ſatus gemmante.* Reliqua botrata facies dubio procul non abludet. Eſt hoc non tam nativæ conſtitutionis quàm intemperantiæ & enormis Oenopotiæ tecmirion. Naſus ille tuburcinantis Bacchi popæ eſt. Nempe depicti in *Pica naſi Schnargutii Muſſonis*,

Cui polypus ingens
Auctus vi lunæ naſum facit eſſe trabalem.

Naſi color, inquit *Morio*, evidens præbet teſtimonium perfectæ in viro ſcientiæ, quis ſit potus optimus. Non neceſſum eſt peregrinis in urbem advenis, ſi virum hunc in plateis obvium ha-

habent, suspensam vino hederam quærere. Hoc naso duce aberrare non possunt ab optimo Oenopolio. Non est excocto cancro tam eximius color quàm fervente Sirio huic naso. Rigente brumâ instar non cocti plumbeis lituris distinguitur. Mirabantur omnes nasi coccineam tincturam, ad quem facile vel lychnum accendere possis, ut jocatur *Theocritus*. Facessant ambages, inquit *Apollo*. Interiora pervestigent Satyri. Mox factum puta. Hic nil nisi ex Hispania

Lucret. l. 4. *Tenũia frusta, minuta, croci contincta colore.*

Nasus *multa pulsatus* manuum vi

Lucian. l. 5. *Pulveris exhalat nebulam nubesque volantes.*

Ingens fulvi pulveris prorumpit cumulus, qui non unam pixidem implevisset. Næ hic, *Morio* inquit, dignus est servari, siccari rursum, & inter Satyros divendi, juxta stratagema illius P. 54. à cubiculis Duci *Megelandro* in *Pica nasi* allatum. Apage fæditatem, ait *Apollo* vel ipsis Satyris indignam. Alius nasus in conspectum veniat.

Exibat in scenam alius nasorum Coryphæus, cujus adhuc in facie sua existentis magnitudo notata erat stupenti *Mercurio*.

Hic me herculè ait *Morio*, latitant crabrones. Nolite irritare. Immaniter nasus hic Sternuit. Domum tremore, in templis fornicem fragore concutit, & in angustiori cubiculo vel ipsas frangit fenestras.

Qua-

Quovis momento nubem attrahit in cerebellum.
Intonuêre poli, & crebris micat ignibus æther.

Tales tempeſtates atque procellas excitat irritatus. Cavete ſtimulare. Nemo impune laceſſet.

Sternuit ingeminans decies ter & amplius. Ohe! Jac. Balde in Sat de Tab.

Non iſta terrent è pelvi fulgura, reſpondit *Mercurius.* Nullum præ cœteris huic privilegium dabit naſi inſolentia. Sternuat ut poteſt, & quæcunque rapida ſtrideant de nare procellæ, tamen excutiendus eſt. Sic me Phœbus puniat, reponit *Morio*, niſi hic oleat latrinam & laternam. Etiam pulvis hodie naſi datur alveolis, quem & lotium infecit vetus, & rancescens oleum. Tale divenditur *Tonamerſii* ſub titulo *Vetularum.* Excute Sodes Satyre, quod intus eſt.

Satyrus dicto obſequens absque mora concutit, excutit. Sed quid? viuam aſcaridum ſobolem aterrimæ & fœtidiſſimæ colluviei involutam. *Vah*, clamat Morio, *naſum pædorem canis illuviemque profeſſum!* Sed eheu! etiam miſeram hominis conditionem, ait *Dietetus.* Hic ex illorum claſſe eſt, in quorum cerebro vermis hoſpitatur, quem Nicotianæ pulviſculis fortè eliminare conantur. Quid ni igitur ſub hoc prætextu diſpenſatione gaudeat. Vir iſte bonus quisquis eſt, reponit *Rhinocritus*? fas eſt redire naſum ad ſuam radicem. Admodum enim fœcundus novos quotannis naſulos & animatam vermium progeniem excludet.

Incessebat *Apollinem* cupiditas intelligendi, quodnam illud genus vermium, & unde natum esset, cujus decisionem à *Dieteto*, medicus enim id præ cœteris novisse poterat, exigebat. *Ascarides* inquit *Dietetus*, vermiculi sunt in intestino recto stabulantes, & ab excrementis diutius inhærentibus & putrescentibus (recentiores peculiaria ovula sui generis malunt) generati, ubi motu suo perpetuam titillationis & pruritûs molestiam inferunt. Similis & hisce est in narium camarina genesis. Belgis dicuntur *aars-mayen neers-mayen*. Hi picam excitant, naresque titillant, ut continuò pruriant in nicotianam. Et inde insatiabilis illa nasi orexis.

Tanta fames fuerit fortasse Erisichtonis olim
Sacrilegi, cui causa cibi cibus extitit ipse.

Vermis vermem, pica picam, & pulveris pætacei prensatio perpetuam ejus bulimiam producit.

Non displicebat *Apollini* hoc qualecunque ratiocinium. Sed præter hosce stabularios narium vermiculos, quis ille grandior in Ejusdem Encephalo sit, non explicavit *Dietetus*, inquit *Morosophus*. Egò dicam. Herculanæ & pervetustæ, nescio cujus, vel ex ipso equo Trojano derivatæ nobilitatis vermis cerebri Menynges & meditullium eâ regioue, ubi phantasiæ sedes est, continuò pungit. Nasus est cujusdam multum Reverendi Abbatis Domini *Vermelii de Ciconia* Qui non digitis, ne eos fortè sacros defædet, sed parvo cochleari aureo adæquatam nasi alveis pulveris tabacini portio-

tionem totâ die admetitur. Vera narro. Stupescite præpinguis ingenii indomitique nasi inventionem.

Privilegio igitur gaudeat, ait *Rhinocritus*, vir tantæ abollæ. Hoc statui & dignitati debetur. Absit inquit *Apollo*, & *hic nasus se ulciscitur ipsum*. Non tua, quâ legibus vales nasum opponere dexteritas, hujus nasi insolentiam tutari poterit.

Interim jam *Mercurius* alium ex sportulis nasum deprompserat insulsissimum. Fluebant naribus muccorum rivi, & extus inter rugas porosque tantum jacebat cerussæ, ut parietis de albati compagem putâsses. Papæ! ait Morio, *nasum simul intus & in cute fœdum*. Cretata ambitio *Persei* hæc est, ait *Peticastes* & larva nasi, de quo dici potest illud Poëtæ Venusini In Epod.

Manat humida creta colorque
Stercore fucatus.


Tentabat interiora Satyrus. Ha! ha! clamabat. Nasi paries intus & extus incrustatus, extus tectorio albo, intus nigro. Hic nasus pertinet ad *Costam* anum se fucantem, quæ facie pulchritudinem mentiri, naso galanteriam, ut vocat, præferre gestit. Illa *Morio* ait, sibi fucum facit, non faciet *Parcis*, quas istâ larvâ non deludet. Ostendit se esse terram & pulverem in quem brevi stolida resolvetur. Hæc jure potest dicere cum Flacco *pulvis & umbra sumus*. incidit hic mihi cujusdam Seplasiæ fraus, qui pulveri sternutatorio ad augendum pondus nunc cretam, nunc cariosum pulverem ex antiquis

arboribus erosis collectum adjicit. Isto fortassis nares suffarcivit vetula, nam sentina refert mixturam.

Non inficetè judicas *Morosophe*, ait *Apollo*, sed sodes *Mercuri*, quis iste in sportula nasus candidus, politus ac tersus, cui coruscus auro fulget apex? Novitas omnium eò convertebat oculos, & nemo non mirabatur hactenus non visum nasi splendorem. Ita me musæ amant, ait *Peticastes*, lepida hæc nasi est species. *Hactenus in sordibus*, inquit Cicero, *veniamus ad splendida.* Antiquitas quidem affinxit *Pythagoræ* ut & *Herculi* femur aureum, Auroræ capillos aureos, *Æsculapio* barbam auream, imò & cujusdam è Silesia pueri ori astus humanus priori seculo inseruit dentem aureum, qui tamen non nisi tenui auri lamellâ affabre tectus naturæ simulabat prodigium, verùm nullibi monumenta veterum produnt nasum aureum. Filiis Mahometanis, dum sponsæ sunt, digitorum inaurantur ungues, & Indiæ domicellis quoque dentes, sed unde huic naso aurea fulget cuspis? Permittes Augustissimè *Apollo*, ut satyrus ex narium fodinis hanc auri evacuet balucam. Placebat omnibus eruditus Poëtæ discursus, qui pari aviditate quid intus lateret, videre anhelabant, grande operæ pretium, atque cum Poëtarum principe in obsoleti *Ennii* lectione occupatissimo *aurum ex stercore* colligere sperantes. *Morio* fixis oculis quasi stupens herculè ait hic nasus fulget.


In fimo malè scintillans scarabæus equino.

Emun-



Plautus.

Juvenal.



Emungite, ſtrophiis excipite. Fortè tantum lucri inde reſultabit, ut hodie Baccho *ludum*, *jocum*, *feſtivitatem*, *ferias*, *pompam*, *penum*, *potationes*, *ſaturitatem*, *gaudium faciamus.* Cavete ne quid maneat altâ nare repôſtum. Satyri ſpe lucri tripudiantes prô ut excutiunt! ſed quid? ſpeciem pulveris tabacini ſubviridiuſculi atomis aureis eleganter radiantis. *Peticaſtes* ſubridens ait: *hic aliquid plus quam ſatis eſt.* Naſus pulcher, ſed non ſine fœce. Nares auriferæ plus ſuppeditantes auri Plautus.

Quàm Tagus & rutilâ voluit Pactolus arenâ. Juvenal.

Myſterium non capiebant omnes. *Rhinocritus* itaque ſic incipiebat fari: Quid non lucelli excogitat cupiditas? quò inſana pergit naſi orexis? jam tandem & naſos aureos videt hæc ætas. Vænit hodie in Anglia & Batavia pulvis naſalis ſub titulo: *The True Golden ſnuff ſive ſnoff.* & ſub ſigillo & ectypo Elephantis cum epigraphe: *Floribus & herbis ineſt digniſſima virtus.* Nempe propolæ hi emptoribus optarent proboſcidem, quo pulveris tabacini modios caperent. ô grandem ſtoliditatem!

Quis furor eſt, etiàm pretio duplicare Mephitim?

Humilem naſi fœcem aureo fuco velare, & pulveri tabaci abjectiſſimi, imò potiùs *omnium florum*, id eſt, ſtercoris vaccini menſe Majo in boum paſcuis collecti & exſiccati (quod indicat ſignatura) miſcere foliatas auri ſeu potius orichalci atomos, quibus nares reſplendeant

deant iis, qui recenti artificio vetustæ formæ novam quærunt elegantiam, nova species dementiæ est. ô lucri odor & auri color, quàm multas habetis illecebras! Dixerat *Rhinocritus*. *Apollo* ipse novitate attonitus sciscitabatur, num novissent, ad quem hic nasus spectaret. *Mercurius* reponit, nasus *Calospudiæ* est viraginis Batavæ nam &

Incipiunt matres naribus esse mares.

Quæ ut instar *Harmoniæ* apud *Martianum Capellam* capite aureis undique bracteis compto superbientis, inter cœteras sui statûs effulgeat, aureis scintillis implere nares & nasi inaurare apicem consuescit. Cujus exemplum hodie non paucæ inter Anglas & Batavas sequuntur. *Non est hæc fabula tantùm.* Illa satyro nasum tam comptulum secanti illud fere Horatianum lacrymando ingeminabat.

Nasum finibus
Reddas incolumem precor,
Et serves vultùs dimidium mei.

Euterpe frequentiùs sueta exhilarare jocis ajebat. Talis nasus est *Tithoniæ* conjugis croceum linquentis cubile, & per purpureas fores mane prospectantis. Nares hæ aurigine tinctæ Galbuli conspectum exigunt. *Terpsichore* fæmellæ miseratione tacta rogabat *Apollinem*, ut nasus inauratus *Mercurii* committeretur custodiæ, quò suæ faciei illæsus restituatur. Apage na-

nasum longè stolidissimum ait *Apollo.* Cœteros ocijus expedite.

Satyrus mox extrahebat nasum immanè fætidum, quasi è cloaca emergentem. Næ, ait, ille est *Struntocorpi* foucarii. Hinc igitur absit, respondet *Dietetus*, nam iis, qui in latrinis versantur, debetur privilegium nares pulvere tabacino opplendi, ne expirans Mephitis misellis animam extorqueat. Sequebatur hunc proximè nasus *Diauli* Vespillonis. *Nobile par fratrum.* Et ille inquit *Dietetus* exemptione gaudeat, in antra enim fætidissima cadaveribus plena descendentes pestilentem sæpe auram inspirare coguntur, contra quam tabaco se munire fas esto. Quod eò magis illis favemus quod hoc genus hominum cum mortuorum exuviis medicorum errores unà soleat contumulare.

Par hoc nasorum putidissimorum quasi è vestigio premebat nasus tuberosissimus. Percunctatur *Apollo*, cujus professionis esset istius possessor; nihil enim huic deficere, nisi in apice oculum, ita videri esse hominis perfectè lyncei. Rem acu tangis Numen Parnassi ait *Mercurius.* Est *Grannazii Copriani* polypragmonis ex *Ambubajarum* Collegio qui egregius cluit Nugi- & Pœtivendulus, ut & ano- & nasocurus. Quem *Patinus* descripsit *Fourbissimum animal faciens bene partes & lucrans mirabiliter.* Ex herba Ulmariæ passim ubique crescente conficit nasales pulveres, quos ex planta in campis Elysiis nata compositos jactitat. Utrique in urbe amplissima sexui præstat operam in ejiciendis inferiori gutturi everriculis (clysteres vocant) unde non raro ex occidente halitus

mi-

minùs gratos, & ſiquid aliquando non rarò comitatur graveolentius, in faciem excipere miſer cogitur. Prophylaction ergo ait *Dietetus*, ex nulla pixide illi paratius erit, quàm ex tabacaria, & hinc æquiſſima uſûs cauſa. Hic igitur, ait *Apollo*, pari paſſu cum foricarii & Veſpillonis naſis ambulet. Nam opere, *ex iſtoc ſpurcatur naſum odore ineluibili.* Aliùm ſatyri producant.

Plaut. in Menæchm.

Mart l. 6. Epigr. 93. Jam erat in promptu naſus non aliter fætens ac *Fullonis avari teſta vetus.* Morio criſpato naſo inquit: hic Dea habitat *Cloacina.* Luſtremus, & hoſpitem videbimus. *Naripandi* eſt Pætopolæ, qui præ aliis caſtigari meretur, quòd innumeris artibus & Mangoniis fucatum tabaci pulverem, & quidem cuique, ut lubet, modo tenuem, modò in granulis craſſiorem, modò bene olentem, modò fætidum obtrudat, ſicque omnes naſo balatro ſuſpendat. Satyrus nares ruminans non ſemel naſum pulſat reſonante talitro. En hìc, ait, duas tabaci ferini inexplebiles voragines. Phui! ut fætent commotæ cloacæ; pejus ſanè, quàm nobis ſatyris aut hirco cauda. Excedat, faceſſat, abeat, exclamat Morio, hæc *ollapodrigo* olla putrida putidaque.

Naſe-ſtuber Chiquenaude ſur le nez.

Pulveris excuſſi ſubtiliſſimus halitus *Rhinocriti* naſum ita feriebat, ut in crebras ſternutationes erumperet, quibus Muſæ omnes ſolenne illud: *Salus*, acclamabant. Movebatur ergo quæſtio: Quare iſtè apprecandi mos obtineret. Reſpondebat *Dietetus* Michaëlis *de Montagne* ſcriptoris galli verbis: Tres dantur in homine ſpecies flatuum. Ille qui exit per guttur infe-

rius.

rius, & fætidus putidusque eſt. Ille qui exit per os & exprobrat guloſitatem, ille denique qui ſternuendo è naribus exploditur. Hic è capite oritur & eſt absque vituperio. Ergo illi ſoli præſtatur honor & reverentia. Ridebant omnes ſubtilitatem Ariſtotelicam.

Paulatim, ſubjicit *Apollo*, à fœculentis ſpectaculis nauſeamus. Saltem nunc aliquem gratioris odoris protrahite, ne tenerrimis filiabus noſtris *Pieridibus* ex putore animus deficiat. Jube igitur *Mercuri*, ait ſatyrus, quem nunc in medium producam. At hic: Omnes ejusdem furfuris ſunt. Non optimus erit qui primus. Sit penes te electio. Satyrus ſportulam concutiens, & ſusque deque naſos emovens pluribus inſigne dabat Euhymoma. Tandem extrahit naſum ævi, ni fallor, antiquiſſimi, qualem *Diogenes* geſſit aut *Cleanthes*. Videbatur enim quaſi aſperſa rubigo venerabilis ævi. Sylva pilorum caneſcentium & pendens ex naribus ſtiria ſilicernii eſſe ſatis indicabant. Dii! Clamabat *Morio*, quales naſi ex ſportula veluti ex Equo Trojano egrediuntur? Edepol hic antiqui ſtoici naſus eſt. *Detrivit multa vetuſtas*. En verum naſi ſceleton, procul dubio reciſſum ex facie, quam ſi inſpicias, videbitur

Aratro
Procīſſa, inque cavas jam velle dehiſcere valles.

Prô quàm graciles alæ! quàm acutus apex! quàm horridus in nare pilus! quàm buxea & ſtrigoſa cutis! macra neceſſe ſit radix, cui tam areſcens truncus ſuccrevit. Nil niſi *pellis & ossa* Plautus.

ossa miserâ macritudine. Placuit omnibus *Morosophi* non inficeta parenthesis. Nasus iste, ait *Dietetus*, cum sit senex, procul dubio redolebit Sapientiam, nam & hæc cana esse consuevit. Vos apparitores explorate: Vah stupor! quis exspectâsset ex pumice flumina tanta?

Fœces mox viscusque fluens, & fascia longum
Dependens, madidumque gelu.

Et (nares claudite) immanis fœtor ex colluvie scorbutica emanant. *Nasi hirsutis cubat hircus in alis.*

Non pigra Mœoris, lamarinaque & ima profundi.
Tetrius exhalant ejectamenta Pelori.

Nasus silicernii verè infans & multo mucidus imbri intoleranda mephiti omnem Parnassum inficiebat. Delicatioribus musis jam instabat Syncope. Ipse *Morio*, me perturbatio, ait, sicut avem circuitus facientem præ vertigine jubet abire, vacillo pedibus totumque cœlum gyratur. Hic narium hircus vel *silices* mactet & Indos. Apage ocyus hunc fœtorem, clamat *Apollo.* Foras nasum. Exspectabamus lusum, & omnes fere intolerabili fœtore occidimur. Ocyus, ocyus crudelem nasorum pestem removete. Satyrus nasum vibrissis apprehendens confestim extra conclave projiciebat. Nisi quilibet admotis manibus clypeum naribus opposuisset, & *Thalia* haustu *Hippocrenis* recreata fuisset, certè lypothimias non effugissent.

Hem

Hem ut nunc paulatim respiro elatâ hac peste, ait *Morio*, & nunc nescio quàm gratus odor vicissim naribus afflatur meis. Eduxerat Satyrus nasum pulverem egregiè odoriferum spirantem. Mirabantur omnes inexpectatam odoris mutationem, cupientes rescire, cujus esset. *Adonasii* est, reponit Mercurius, Cyparissi ex gente Nepotuli & Sponsi *Penelopes*, qui pætum exquisitè odorum nunquam non secum gestat in sacculo (nam hic jàm loco pixidis passim novi moris est. Olim non sic in nasis, non sic in saccis) subditque naribus, quando *Phyllidem* aut *Calistam* salutaturus accedit. Approximat *Morio*, & nares contrahens tantam, ait, vim balsami spirat hic nasus, quantam non redolent duo funera. Sed dic sodes, cui hoc fini? Curiosæ, inquit *Dietetus*, sunt puellæ, ut explorent eximii suffitûs scaturiginem, quare non raro in illius currunt odorem *Adonasius* intendit illarum delectare nares, quarum aures ineptioribus verbis non satis permulsit.

Non illa ratio est, reponit *Morio*. Nasus hic simus est, qui plerumque est Cimex. Hunc igitur condit balsamo. Ne ut vates canit,

Manum puella suavio oppcnat suo.

Audite ut de tali naso cantillet Anonymus Gallus.

Un nez le fleau de tous les nez
Ecrasé, creux à la racine
Par une Camarde narine
Soufle un parfum d'œufs surannez.

 Quod

Quod me quidem promptiùs Latino versu reddet *Peticastes*. Hic ungues non nihil præmordens sic ex tempore:

Depressus planâ nasus radice flagellat
Nasos cur! Qui putentis spirat odorem.

Eleganter quidem vos ista ait *Apollo*. Nihilominus hic nasus cœteris jungatur fætidissimis. Turpe namque est adolescentem bene olere.

Balde Encom. Torv.n.5. *Quid potius cerebrum an nasus? Sapere an bene olere?*
Liberum olere bene est: sapere ac sapuisse necesse est.

Ita est ait *Dietetus*. Qui alienis repletur odoribus fætet. Qui ex ulcere capræ exoticæ rupto expressam saniem, & peregrinæ felis odorem spirat, hirco pejùs olet. Verè Martialis:

Non bene olet, qui bene semper olet.

Jure igitur ad putidissimorum societatem damnatur.

Junxerat se proximè huic naso, solo utique casu, alius non minùs delicatus *Boccabellæ* mulieris Batavæ, noti in urbe nominis. Mirari licet hanc ita splendidas ac nitidas servare ædes. Plus quàm mundicies simplex illas habitat. Non est atomorum pulverulentorum hostis atrocior. Mensa & tota supellex omni pulvisculo est vacua. Si quis deprehenditur continuò variis everriculis in auras mittitur. Supel-

pellex ſtannea cupreaque argento auroque contra renitet. Abuſum putaret maximum, ſi illam unquam neceſſario uſui deſtinaret. Viſui ſaltem ſervatur & illorum recreationi, qui talium ſpectaculo delectantur. Sed quis nitor in tabulis? quæ raritas & quod pretium eſt fictitium è China & remotis Indiis petitorum, quæ per anabathra quaſi in Theatro ſurgunt, in quibus *Boccabella* quærit gloriolam? Sed quod magè mireris pavimentum domûs nitore ſpeculum refert quotidianis lævigatum fricationibus. Nemini intrare licet triclinium, niſi vel calceos ante januam mundet vel exuat inſtar *Muſelmannorum* ſua *Moſchea* ingredientium. Vera dicit, interrumpit *Moroſophus*. Si quis ædes intrat, illa acclamat: *faites decroter vos Souliers Monſieur*. Amice abjice vel deterge calceamenta. Domus, quam intras, tota munda eſt.

Mercurius pergebat. Splendet focus. Caminum habet, ſed abſit in eo ignem ſtruere, ne fuligo inſertos porcellanos rhombos defœdet. Verbo Horatii: *Domus hâc nec purior ulla eſt.* L. 1. Sat. 9. In mundiſſima domo habitat, à qua ſordities omnis ambitioſè eſt exempta. Unde ab ejus hoc naſo dubio procul omnis quoque aberit fœditas.

Noli decipi, clamat Satyrus, & ante autopſiam judicare. *Boccabella* tota curioſa, nitida, & munda in laribus. Puniat me *Pan*, niſi incuria, putida, & fætida ſit in naribus. En ut ſordes Nicotianæ quam *Knaſter* vocant, hærent in alveolis. Atræ loliginis pulvis ex naribus deciduus labia, mentum, & colliculos ſororiantes infectat: an enim quid fluxum &

 cadu-

caducum magis quam pulvis nasalis. *Multa cadunt inter nasum supremaque labra.* Mecastor madido res digna cachinno est. *Diogenes* olim similis elegantiæ domum intrans in hospitæ os sputa conjecit, dicens deponendis excrementis locum in tota domo non esse aptiorem. Si *Boccabellæ* pluriumque aliarum tecta hodie subiret idem Philosophus, nunquid naso insputaret?

Sed excusetur bona fæmina, reponit *Dietetus.* Nulli rei magis studet quàm Novitati. Novi mores arrident. Tabacum prensat nasale non tam voluptatis quàm novi hodie moris gratiâ. Sic fert seculum. Quanti autem mulieres Batavæ præ nitore nasi domûs faciant elegantiam, hæc probat Historiola. Infans forte casu in cubiculo bene terso ac polito lapsus nasum humo allisum frangit. Mater plus turbata & consternata à macula ex infantis sanguine pavimento impressa, quàm plaga naso inflicta, citiùs ac priùs laborat ex illo cruorem multis fricationibus detergere, quam huic sistendo applicare remedium. Hic Batavarum mos est, hæc voluptas, ut omni

Juvenalis. *Aspiciant sine labe domum vitioque carentem.*

ô ridiculam vanitatem, mundare limen, ne perfusa luto sit porticus, & in naso vultus vestibulo fædissimas sordes datâ operâ congerere. Hujus commatis mulierculas meritò mulctâ dignas censemus.

Non judicarem, respondet *Peticastes*, si modò eâ dexteritate, quâ Hispanæ solent *Madriti-*

driti, tabaci pulverem naribus ingererent. Hæ in templis humi confidentes fingulis fere momentis eundem nafo infinuant tam dextrâ enchirefi, ut ne minimam quidem barbulæ lanuginem illi fuffigant. Quæ manipulatio fæminis noftratibus nondum nota eft, fed paulatim credo innotefcet.

Crediderim ait *Morio*, fi primum & aliud nafis fuis decus addiderint, quò magis evadant perfpicaces Grandes in Hifpania Dominæ in tricliniis vel templis morantes, aut etiam Comœdias fpectantes ingentes nafis geftant perfpiciliorum orbes, authoritatis & decoris gratia. Quos & noftrates *Al-Modiſſas* nondum geftare non femel miratus fum. Si gallia morem reciperet, certè & Germaniæ fimiolis ftatim foret acceptus.

Prolixior hic fuit difcurfus, ait *Apollo*, tempus paulatim monet, ut fordibus finem imponamus. Quid enim opus argumentis quid teftimoniis, cùm nafi omnes femetipfos fatis condemnent? *Habent alaudæ omnes ſuam criſtam, & naſi omnes ſuam fæcem.* Quare permitto, ut faltem adhuc pauci fcrutinio fubjiciantur. Quotquot tumultûs & accufationis fint complices, eâdem procul dubio farinâ erunt afperfi.

Nihilominus erunt finguli infpiciendi ait *Rhinocritus*, ne fortè quis infons damnetur. Bene monuit *Juvenalis:*

Reſpice primùm & ſcrutare viros.

Plures namque reftant *Vervecum in patria craſ-*

ſoque ſub aëre nati (Bœoticus aër omnes permeat regiones) quos priùs re ipsâ convincere, quàm ſupplicio addicere oportet, ne major in populo fervor ex-æſtuet. Jube igitur Satyrum pergere in officio.

Annuit *Apollo*. Et ecce tandem protrahitur naſus umbratilis Andabatæ Alcmarienſis, qui magno minatus hiatu in *Picæ* autorem enſem ſtringere, qui tamen nimiùm brevis, repertus eſt. *Morio* vix eo viſo variè geſticulans, exclamat. Vah naſum hiantem! quem

Juvenal. Sat. 3. l. 1. *In gremio matris formidat ruſticus infans.*

Mirabantur omnes naſi magnitudinem ex capite tantilli cerebri, ut *Melpomenem* invaderet curioſitas reſciendi illius pondus Suſpenditur jubente *Apolline* ad bilancem, & libræ dimidiæ, & quod excedit, comperitur. Rem inter miranda naſi referendam dicit *Dietetus*, niſi pulvis in eo reſiduus pondus excellenter augeat. Excutitur, lance examinatur, & plures reperiuntur unciæ. Utinam inquit Satyrus, integrum thraſonis caput hìc haberemus, prô quales in eo crabronum & gryllorum nidos deprehenderemus! Admodum herculè obeſus eſt hic longurio, ait *Rhinocritus*, & dubio procul appendix cerebri non bene defœcati, in quo ſedem fixit faſtuoſa Autophilia Jubebat *Apollo*, ut virum ad omnium notitiam magis graphicè deſcriberent. Hic eſt ait *Dietetus*, naſus in *Picam naſi* criſpatus thraſonis Ariſtarchi, qui eam nil contineri ſcientifici ſolus enunciavit. Illepidus hìc fungus pauci eſt judicii, paucis ingenii

genii bonis dives, pauco honore gloriosus, paucâ scientiâ sapiens, & tamen de Doctorum scriptis liberam ferre censuram præsumit. Plura non addo. Nasus virum sat prodit, mittatur ad reliquos, parem sortem subiturus.

Sequebatur hunc nasus alius, de quo sic verba faciebat *Mercurius:* spectavimus antea nasi sceleton, nunc cum contraria juxta se posita magis soleant dilucescere, in conspectum pro duco nasum felicioris saginæ. Crediderim esse *Marci crassi* viventis tantâ paropside cui *venter qualem bos ipse timeret* Quid tibi *Morosophe* videtur? non dubitarem ait hunc magno illi Westphalorum Duci *Sarboldo*, si viveret, asserere. Erat enim si *Picardo* fides, verè carneus colossus, quem inprimis decuisset hic apex. *Forma Virum nasusque decet.* Sed hic propior est monstro quàm naso. Stupebant omnes nasi duritiem, & mirum dicebant, quod conus iste perpetuo tabaci affrictu non deteratur. Non est periculum ait *Morio* Callum obduxit, *nec rostro verris cedit adulti*, quod licet continuò terram subigat, constans est, & *rostris quoque firmius uncis.* Hæc patent. Quid intus sit feralis catharmatis, Satyri viderint. Excutitur protinus. Sed quis?

Terribiles visu formæ tabacumque caprosque.

Phui! gannit Satyrus. Nasus est obesi hospitis *Trimalcionis*, qui ad signum porci habitat. Ventris ille & nasi est mancipium, iners & ignavum,

Græcatur, potat, fætetque Trimalcio, fumat,

Fimatque narium loculos identidem stercore tabacino. Nuper inquit *Morosophus* apud eum hospitabar, sed totâ noctè somni nescius, siquidem

Gazæus in Piis Hilar.

Dormibat altum facilè tricenos pedes
Miraris? arctâ nare tam graves trahens
Retrahensque ronchos, omnis ut viciniæ
Tecta tremebunda dicerent: furit Africus.
Sit venia fandi.

Delectabat omnes *Morosophi* hyperbole. Pergebat hic loqui, cernens alium nasum prioris socium, nasi potiùs rudem indigestamque molem.

Prô quæ ista Phariæ regionis nuncia?

Balde.

Mus an equus, lupus anne lepus, lepus anne lagopus?

An nasus an suis rostrum? Dii me! Dii omnes! quàm fætens hoc spurcæ carnis frustum! *Toto Amsanctum spirat ab antro.* Herculè vel Verpi est, vel Caci, vel Afri, Arabisve nigri. Vah cani projicite.

Noctes atque dies patet atri janua Ditis,

Et hujus quoque sqallidi antri. Inexplebilis Pæti vorago est. Absit, ait *Mercurius*, nasi carnificina Absit hominis reliquias cani dare, sed cujus sit inquirite. Puto, inquit *Morosophus*, me ejus possessorem nôsse.

Est

Est Paulus Nasomon Petro Nasomone creatus. Apud Bald. l. a. n. XV.

Nasus hic probè est

Unitus & illotus, lautusque & pinguis ut octo.

Culinam olet. Lixæ seu potiùs coqui pinguis est. Adipe oblito favillæ Turffarum & carbonum adhuc aspersæ hærent. Fortassis culinæ fumus hanc illi atredinem induxit, ut potius frustum laridi infumati quàm nasum præ se ferat. Non bene ille caminum suum purgavit. Angustior est quàm ut eum intrare potuerit *spesso camino*, nasipurgus. Hallucinaris, *Dietetus* ait, nigredo à tabaci fumo est, quem per os attractum naribus totâ die remittit, licet quoque transeunti ejusdem pulvere non minimum ponat obstaculum. En Augiæ stabulum, quis Hercules repurget? transeat ad cœteros atræ fuliginis nasos. Scrutinio non dignatus ad plures abibat.

Jubebat *Apollo* unicum adhuc nasum scrutinio subjicere, atque sic finire. Jam enim omnes nauseabant à fœtore, & hora instabat urgens sententiam, quâ turba tumultuosa à limine Parnassi fugaretur. Agmen igitur claudebat (cœteros namque fere innumeros tædebat inspicere) nasus simus repandusque asper & psoricus. *Rarum ac memorabile* nasi *exemplum.* Juvenalis. Næ ille inquit Satyrus noster confrater est facie, quid ni & moribus? talem speciem medici tribuunt illis, qui Elephantiasi laborant. Non putem ait *Dietetus* tali lue eum infestari.

Certum tamen eſt eſſe magnum Rhinocerotem, cui medicina audit Empyria *, cui viri docti ſunt nil ſcientes †. Cui Pica naſi ſordet vitiis proſodicis ‡. Remittatur ad cœteros naſus *Archipedantici.* Non, non, ait *Morio*, donetur meo luſui.

Scaron. *C'eſt grand nez digne d'un Camouflet,*
Belle au poil de couleur d'Orange,
Machoire à recevoir ſouflet,
Portrait de quelque Mauvais ange. *

Hic dictis accenſâ chartâ fumos naribus inſufflabat, quod Galli *Camouflet* dicunt. *Tu veux donc* ait *plaider contre les Sçavans*? Sic igne & fumo purgandæ ſunt nares, quibus cauda Satyri non ſufficit. Ridebant omnes Morionis luſum, qui tamen nonnullis durior videbatur. Quibus *Dietetus:* Naſus hic eſt *Torpei* Pyrgopolynicis, cui quidem, quod de *Apollinis* alite dicebat vulpecula, pluma mollis & caput argutum eſt, ſed roſtrum durum. Hic *Picam naſi* eo ipſo calamo, quo verborum priùs, imò & laudum illecebris demulſit, mox ſauciavit. Inſtar ſcorpii viſus eſt paululum ludere, tandem feriit caudâ obliquâ. Excerpſit *Picam* præferens amicum, aſperſit ſub finem calumnias ſtylo inimico juxta dictum polyhiſtoris politici: *Peſſimum inimicorum genus laudantes.* Fortaſſis

* Quakzalvery.
† Weetnieten.
‡ Poëzy fouten.
* Calumniator.

tassis solum se credit *Phœbi* delicium & *Minervæ* amorem, quem propriis manibus effinxit *Titan*, ut cœteri ipsi videantur spurii. Amici literis non semel sarcasmi causam rogatus subticuit, unde nunc merito Satyris & *Morioni* factus est ludibrium. Responsum ad suas nugas infra pluribus à *Peticaste* habebit. Credat *Picæ nasi* autorem & de se dicere posse illud Poëtæ:

Et mihi sunt hastæ, mihi sunt quoque scuta rotunda.

Sed parcet hac saltem ultione contentus quod nunc risui in Parnasso exponatur.

Hoc habet Satyris ludibundis victima.

Plura volentem dicere interpellabat tussis à fumo accensæ chartæ densâ nube per totum conclave volitante excitata. Recreabat omnes hanc cum naso *Torpei* (per anagramma Protei) Comædia, cui jam finem facturus *Apollo* in hæc verba erumpebat. Satis lusum est. Satis spectata sordities. Sat fætoris toleratum. Manum de nasis. Quis enim reliqua Cerdonum, fullonum, vetularum, lixarum, calonumque plùs quàm charonia nasorum antra tam patiens sit ut investiget?

Ulterius spectare piget, quia tædia crescunt.

Actutum vos Satyri nasos teterrimos & putidissimos extra atrum Parnassi deponite. Applica-

plicabant hi jam manum operi, & ecce nisu audaciori ultro in medium se ingerebat nasus imaginariâ authoritate suffenus, quasi poscens sui examen. Nasus hic ait *Mercurius* est *Don Jani ab Aquapendente*, medici æstimatione propriâ prô quanti! hic dum curæ suæ commissos nasi servitute liberare deberet, ipsummet se fecit ejus mancipium, eò majori cum dedecore. Cùm turpe sit Doctori si culpa redarguat ipsum. Semper naribus ejus stilla dependet, ut ab illa nomen videatur derivâsse. Aptè refert, inquit *Morio*, nasus hic saxea illa culinarum aquaria, quæ semper aquam & sordes stillant. Dominus hic de *Aqua-* seu potius *Vino pendente*, Etsi apud suos cives magni nominis medicus, in sanguinis missione & cacatione potissima artis suæ ponit mysteria, ut phlebotomo & ani siphone ipsi ablatis in morborum debellatione planè sit inermis futurus. Ad propriam igitur methodum hìc erit tractandus. Donabo ego ejus naso pro defæcatione magistrale clysterium. Ad manus namque est *Rhinenchytum* perelegans *Parisiis* paratum, quo omnes eluam fœculentias, dein Lancettâ ita dexterè ejus feriam nasales arterias, ut impòsterum helleborismo non indigeat. Hoc pacto & novâ hac arte clysmaticâ Doctor cluam expertissimus, modo mihi ab universitate aliqua conferatur Bulla publicè ostentanda. Hæc enim magnam Doctorculorum nominalium, qui hodie velocius quàm asparagi elixantur & citiùs quàm fungi nascuntur, partem constituit.) Juxta illud Hippocratis: *Multi quidem nomine medici, re autem pauci.*

Syringa nasalis.

Verè tu ista & non sine bile regerit *Apollo*.

Pi-

Pileus Doctoralis non rarò ornat fratres ignorantiæ. Sed cùm tempus non sit cum illa Vespertilionum turba, quæ in *Æsculapii* templo circumvolat, velitari, nasum idiotæ mittimus, qui in frequenti per fumos exspuitione & emunctione narium quærit morborum Prophylacticon. Sanior vel ipsis gentilibus Persis mens erat, qui referente *Xenophonte* turpe intemperantiæ argumentum habebant, sæpe spuere & nares emungere, quod tamen hodie pro sanitatis studio habent qui nicotianæ fumo, masticatione, & pulvere nares & fauces continuò provocant ad congestas impuritates excernendas, quæ non cumularentur, si vitam magis frugalem & minùs desidiosam agerent. Natura equidem commodis nostris satis intenta alibi quàm in facie aptis emissariis nos instruxit ad excrementa tum crassa tum tenuia egerenda, sed nos organa odoratûs & gustûs ad fœda ministeria traduximus. Contra hujusmodi Hippocratis præceptum vel à Principibus frequentissime hodie peccatur, archiatrorum suorum exemplo deceptis, ut non rarò hanc ob causam à sanitatis statu facilè decidant. ut summo jure conqueritur Excell. noster *Ramazzinus*.

In Pæd. Cyr. l. 1.

L. d. Princ. Valetuenda c. 6.

Audiverant omnes *Apollinis* lectionem quasi Professoralem magnâ attentione, quam tamen interrumpebat palatium ingrediens Satyrus, Simiam adducens. Hæc, ait *Morosophus*, est illius Nicotianæ propolæ theatralis, mimia pararia, quâ popellum ad merces tabacarias coëmendas allicit. Exhibuit hujus ectypon *Picæ nasi* frontispicium. igitur & viva, quia herum suum

ſuum huc comitata, noſtris eſt ſiſtenda oculis, ut pateat,

Simia quàm ſimilis nequiſſima beſtia nobis.

En ut pedibus, dicamne manibus, geſtet non inficetam *tabatierculam*, ex qua vix interpolatim miras inter geſticulationes deformi naſo exigit pulverem tabacinum. Stupebant omnes lepidiſſimi bruti docilem ſolertiam, habitu ita confirmatam, ut pixidunculæ jam apertione, jam occluſione, jam pulveris ad nares intruſione magiſtro ſuo non cederet.

Quis jam dubitet, aſſerebat *Dietetus*, ſenſum & quandam rationem ineſſe beſtiis, neque ea mera eſſe automata. quamvis vana ſit nonnullorum Indiæ Orientalis populorum opinio, exiſtimantium ſimias & cercopithecos, qui apud eos in magno ſunt numero, intellectu valere, atque etiam loqui poſſe, ſed nolle, ne ab Hiſpanis occupentur & ad laborem operasque adigantur. Quod hæc ſimia heri ſui, quem toties totiesque tabaci pulvere naſo litare videt, imitatione idem agat, an merus ſit mechanismus à naſi organica diſpoſitione dependens, moderni viderint Philoſophi.

Conſ. le Grand de Senſ. & Cogn. Brut. p. 49.

Mulierculæ noſtræ tamen, reponit *Moroſophus*, verè hodie ſunt rationales ſimiolæ maritos ore & naſo imitantes, non ſunt dentibus & ore & ventre contentæ ad ſaginam. Naribus quoque guloſæ ſunt. ô fatuam neceſſitatem! Fæmina, niſi Deus ipſe vultum illi formâſſet, pridem inveniſſet methodum mutandi eum in aliam formam. Teſtes tot fuci & artificia•

ficiales maculæ, quibus faciem distinguit. Tandem deventum est ad nasum. Quem atro, flavo variique coloris & fœtoris pulvere deturpat. Nonnullæ, si possent brutorum induerent naturam, unde non ineptè Eruditus Gallus fæminas novis moribus studentes appellat de *Bêtes masquées*, *des animaux humanizez*, *les monstres à la mode:* personatas bestias, animalia humanitate induta, novi modi monstra.

Sufficit iste hoc super bruto commentarius, concludit *Apollo*. Apage foras insulsam bestiam; & vos Satyri nasos reliquos. Vos verè Assessores æquam depromite sententiam ex juris & justitiæ scriniis. Ad quam dum vos præparatis, Musæ interim melos accinant.

Cantandum, res vera agitur. Cantate puellæ. Juven. Sat. 4. l. 1.

Vix dixerat *Apollo*, Satyri nasos parvos, magnos, viles, nobiles, viriles, fæmineos congere, susque deque in sportulas, ut sors casusque ferebat, rejicere, & extra limina palatii deportare, *Terp-* Sychore autem & *Urania* tensis fidibus sic accinere:

Nasos canamus. Deditum
Pæto genus recede.
Abhorret istam corporis
Mens alta vilitatem.
Præ cœteris cùi nasus est
Sat indolis domatæ,
Non huic tyrannidi subest.
Istud jugum recusat.
Dic cui repletus nasus est,

Quas

Quas ille captat auras?
Qui turget totus fœcibus,
Quas ille sentit auras?
Qui non habet spiraculum,
Quas ille spirat auras?
Prudens potest ne dicere
Quas ille ducit auras?

Hìc musæ pauco tempore pausam faciebant. *Morosophus* jam cantûs finem ratus Cytharam tangens ex tempore sic cantillabat:

Purgatæ sunt nares Repetite lares
Vos Bertæ, vos mares,
Tam sorte æquali.
Et nasos obesos, jam tandem pertæsos,
Servate illæsos
à pulvere tali.
Purgavimus gratis. Pro cura nil datis,
Si mox emendatis
Nasorum facinus.
Si necdum tacetis, & novas movetis
Querelas, debetis
Ludibrium grandius.

Plaudite vos Satyri, Satyræque applaudite nasis,
Lusibus hæc esto tota sacrata dies.

Non sic ait *Rhinocritus.* Sat lusum est. Veritatis inquisitioni, num ab Autore *Pica nasi* jactitata noxa insit tabaco nasali, quod de præsenti luce restat, destinandum est. Rogamus te magne præses *Apollo*, ut priusquam sententiam feramus & Nicotianæ nasali nigrum theta po-

ponamus, aliqua dubia inter nos ventilare liceat. Objectiones namque habeo, quibus velim prius satisfieri.

Placet, inquit *Apollo*, ut omni conatu veritatem pervestigetis, ne nasis fiat injuria Quos quidem factâ nunc in spectione de Nicotianæ abusu & intrinseca fæditate sat convictos vidimus, necdum tamen idcirco reos, nisi vos pluribus ejusdem noxam edoceatis.

Rhinocritus profundâ reverentiâ acceptans loquendi licentiam, video, inquit, & animadverto Assessores & Confratres optimi sub isto nasorum examine nil vobis magis displicuisse, quàm tetrum nasorum fætorem, & istas quasi

Ex ipso sumptas Phlegetontide sordes.

Quas propterea tam emphaticâ paraphrasi & *Dietetus* & *Morosophus* exaggerârunt. Quasi verò prætensa hæc noxa præcaveri, & grato infectus odore Nicotianæ pulvis in usum vocari nequeat. Cùm vobis ignotum non sit, eò jam maximè & dudum præsertim in Galliis collimâsse artem seplasiariam, quò ista narium mephitis præpediatur. Ortum enim hinc suum sumpserunt *le tabac de millefleurs, tabac de cedro* ou *Bergamotte*. *tabac de Noroly*, *tabac de Pongibou*, *tabac Musqué*, *tabac à la pointe d Espagne*, *tabac ambré*, *tabac en odeur de Rome*, *tabac en odeur de Malthe*; & quis omnes sortes enumeret? nempe *variæ quæruntur artes rei faciendæ.* Patinus. Saltem nasi, qui hisce utuntur ab omni fœtore & noxâ erunt liberi, adeoque à pœna absolvendi.

D Cui

Cui *Dietetus*. Diversa & varia sunt fateor nasorum irritamina. Odorifera tamen ista tabaci genera a delicatioribus usurpata suffitus non corrigit, sed eorum noxam potiùs auget, ut in *Pica nasi* author ostendit, demonstrans summè odorifera tollere odoratum. Ut tabacophili mihi videantur se gentium simulacris similes reddere, de quibus Vates Regius: *Nares habent & non odorabunt*, ut alias noxas fusiùs ibi deductas taceam. Mulierculæ, quæ istis pulveribus deliciantur, cum insipientibus apud
Sap.2.v.2. Sapientem dicere possunt: *Fumus, flatus est in naribus nostris.* Enumerâsti varii nominis & odoris tabacarios pulveres, sed hi apud nostrates rarioris sunt usûs, & potiùs passim arrident *tabac en odeur de Bouc*, *tabac en odeur d'Lorine*, quæ virgineis etiam consecrantur naribus. ô noxiam vanitatem!

Objicit *Rhinocritus*. Subsannavit *Picæ nasi* autor Dorontam, quod tabaci Hispanici continuo affrictu flavum quasi barbulæ lanuginem naso suffigeret, & se tacitè deridendam omnibus propinaret. Sed nunquid hodie singulari ornamento hæc esse poterit, si ex pulvisculo aureo, qualem ex *Calospudiæ* naribus excussum vidimus, componatur? Si aureis atomis nares fulgurent, & apex nasi pretioso metallo coruscet

Ridiculus me herculè hic prætextus est, respondet, *Dietetus*, cui jocoseriè satisfaciendum. Rem acu non tetigit, quisquis istius tabaci aurei inventor & propola est.

Juv. Sat. 14. l. 5. n. 265.

Perditus ac vilis tabaci *mercator olentis.*

Lu-

Luna, id eſt argentum à Chymico-Medicis dicatum eſt cerebro. Nunquid ergo major ex hoc quàm auro in illud virtutum foret irradiatio? Nunquid *conciſum* argentum *in partes faciesque minutas*, naſo foret convenientius, id. l. 1. n. 290. cùm genis aut naturâ aut fuco rubicundulis decentior eſſet naſus deargenteatus? Arrideat ſibi ipſi *Doronta* aut *Caloſpudia* naribus inauratis, digna tamen manet prædicato Sapientis: *Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra & fatua.* Proverb. c. 11. v. 22. Utinam illis aliiſque applicari non poſſent Franciſci *Balduccæ*, quem *Pindarum* Italicum & *Horatium* Panormitanum appellat Doctiſſimus *Velſchius* Eruditi verſus: *Tum dixi, ut aurum nare gerat Phryne in circulis, quo depereuntium infauſta ſe turba perdat, fauſta tamen cupiat videri.* Quota hodie non amat

Facie florere venuſtâ,
Purpureiſque genis.

Quibus malâ mixtura ſociant nares atratas, flavatas, imò vel auratas? videas etiam

Imbelles veluti pupas & eburnea monſtra.

Quæ illud inter nares ſupremaque labra ſpaciolum (philtrum vocant) tabacinis pulviſculis diſtinguunt, philtrum id fortaſſis putantes quo *Gynæcandrum* quendam alliciant. ô conſuetudinem dignam confodi mille Satyris!

Hercule materiam præbet cauſaſque jocorum omnibus hic ſexus, ſi naſus fœdus, & ipſum Ad Imit. Juvenal.

 ſordi-

ſordidulum flavet pœti lanugine labrum nil habet incautus tabaci uſus durius in ſe, quàm quòd ridiculas faciat.

Amici, interloquitur *Peticaſtes*, quid longos teximus diſcurſus de iſtis barbatulis? quin eas remittimus in Cyprum ad ſimulacrum barbatæ Veneris, ut habitu, ore, & naſo virili illi ſacrificent. Verba & operam perdimus. Etiamſi argumentis vel ingeſto in nares probro convictæ fuerint, tandem illius avari vocem emittent. *Populus me ſibilat*, *aſt mihi plaudo ipſa domi*. *Doronta Boccabella* & *Calospudia* ſuas baſiabunt & rebaſiabunt pixides. Baſient, & tandem deſiſtant Calendis græcis, quid moramur? utiliora proſequamur.

Neutiquam ſanè ait *Dietetus* in ſexu fæmineo toleranda eſt tanta fæditas. *Jam didicit fœtere, pudor! pœtoque marinos fæmina cruda mares vitiisque virilibus æquat.* Pulverulenta iſthæc naſi voluptas vultuoſæ in ſtoico aut Palladis armiſonæ filio torvitatis inſigne ſit, non iſtarum, quæ ſe reputant humani generis delicias. Et nunquid meritò exæſtuat & flava bilis & atra, quod etiam paſſim inter Virgines, quæ ſe nomine *Devotas* profitentur, & ore ac habitu modeſtiam & famam ſanctitatis affectant, hodie reperias naſo laſcivientes *tabatiercularum* promas condas? cauſam ignoras? etiam hæ *Galantes*, vel ut *Varro* habet, *Gallantes* audiri volunt. Nam & inter illas Virgunculæ ſunt ſuaviſſimæ & in converſationibus prô quàm jucundæ!

Nulla Venus, multæ veneres & gratia multa.

Etiam

Etiam *Piæ in naſo Harpyæ*. Hæ ſuis curionibus ſeu conſcientiæ directoribus ad captandam benevolentiam frequenter naſales pulviſculos ſingulari manûs & oculorum gratiâ & ſaliente animo offerunt, & ab his viciſſim non ſine gelaſino recipiunt: *Tanta eſt dulcedo placendi*. Crede Autoptæ. ô Curionum & Devotorum naſi! vobis certè ſi aliis aliquando morte inſtante opus erit ſacro unguine, ut vobis Deus remittat, quidquid peccaviſtis per odoratum.

ô Curvas animas & vel Cœleſtium inanes!

Diſcurſum hunc moralem potius quàm phyſicum his dictis reſcindebat *Apollo*. Vidimus obeſi *Trimalcionis* naſum, & *Maraconæ* naſi ſceleton, judicium veſtrum exſpectamus, an macilentis an vero pinguibus magis proſit tabacum naſale? *Dietetus* hæc decidere ſui fori judicans reponit. Verum eſt, ſumunt hodie tabacum ſtrigosè macilenti, ſumunt porcinè pingues. *Albumacer Maracona* horribilis macer eſt. Areſcit corpus totum jam exſuccum. Tuſſit, ſpuit, exſcreat, & tamen nullas naſo concedit inducias. Tremulis vix oſſibus hæret, & tamen mediante tabaco cum *Hygiæa* ſperat redire in gratiam. ô ſtolidum caput! in tabe pulmonali tabaco ſternutatorio nil nocentius. Fugite hanc peſtem,

Cui putri fixa in pulmone teredo eſt.

Sequimini monitum *Buchanani* Magni Mero non Pætobibuli; canentis:

A tabaco Cohibete manus, os claudite, nares à peſte tetra occludite.

Etiam in tabe dorſali extremam adfert perniciem. Audite teſtimonium magni Batavorum Æſculapii Friderici Deckeri: *Nil perniciosſius tabaco ſternutatorio vel in tabe confecta vel fieri, inprimis ſi ex defluxione in medullam ſpinalem, ut magnus ſenex L. de Glandulis textu* 10 *memoriæ reliquit, labes illa ſit producta. Hac enim viâ nonniſi catharri plures imò nonnunquam graviores excitarentur corpusque illorum jam areſcens aridius adhuc totumque exſuccum redderetur.* Quod obeſos plethoricosque attinet, ejusdem celeberrimi Viri judicio merito acquieſcendum eſt, cujus propria verba ex Exercitationum Practicarum Volumine, quod nunc ad manus eſt, publicè prælegam. *Nil minus tolerare poſſunt carnoſiori corpore onuſti homines, quàm ptarmica, quod vehementer illorum corpora hiſce concutiuntur, facileque inde reſpiratio carnoſiorum difficilior redditur, & hæmopthe inde ſequitur, quæ niſi venæ ſectione & opiatis ſtatim & ſubito curetur, incurabilem imò lethalem ipſam judicato. Pluribus obſervationibus dicta comprobare poſſem, ſed tantùm rem verbo, non verbis aperio.*

Exerc. pr. p. 36.

Bene judicavit Vir præſtantiſſimus, ait *Apollo.* Meritò igitur caſtigandi ſunt aptius tam *Trimalcionis*, quàm *Albumacri* petulantes naſi. Quid verò, edic *Dietete* medici ſentiant de pulveris ſternutatorii uſu in oculorum affectibus. Plurimi enim hodie cum vulgo credant lite-

literati, quibus ad lucernam faciendæ ſunt elucubrationes, viſum à tabaco veluti cote acui, & catharros hebetudinis & cœcitatis cauſas ab oculis diverti. Peſſimum *Dietetes* refert, hoc præjudicium eſt, quod etiam viros aliàs Sapientes traxit in perniciem. Apud prælaudatum Lugdunenſium in Batavis profeſſorem nonnulla hinc indoctæ Cœcitatis recenſentur exempla. Cavere igitur jubet, quibus debilior eſt viſus, & diu noctuque incumbit labor legendi, ſcribendi, aut minutiſſima quæque accuratè videndi. Ex talibus quempiam levi tantùm uſurpate ſternutatorio bis terve intra horam aſſumpto planè eſſe glaucum redditum, ut nec legere nec accurata videre potuerit, idem teſtatur adjecto epiphonemate: *Felices aliorum periculo qui cauti.* Cum viro hoc Experientiſſimo Præcipui quoque ex antiquioribus Practicis *Joubertus*, *Sennertus*, *Heurnius*, *Hildanus* conſentiunt, qui obſervationibus & exemplis confirmant, in imbecillitate oculorum pulveres naſales ſummè eſſe noxios, utpote quam humoribus in fluorem concitis ad eos deturbatis augent. Facit experientia mecum.

Quod juvat exiguum eſt, plus eſt quod lædit amantes
Nicotiana tuos.

Sunt plures hodie ita ſtolidi, ut nares putent duos vitæ fontes, in quorum blenna ſtrenuè exhaurienda longævitatis verſetur cardo, quaſi verò hæc aut intra cerebrum aut ſanguinis maſſam latuiſſet, & non à ſucco nutritio potiùs

per tabaci virulentiam corrupto producta fuiſſet.

Satisfeciſti mihi *Dietete* ait *Apollo*, ſed num aliæ etiam noxæ ex eo in cerebrum reſultant, quod *Picæ naſi* autor docere voluit. Magnæ utique reſpondet *Dietetus* Quod non tam meo quàm famigeratiſſimi Germanorum Hippocratis Michaëlis *Ettmulleri* teſtimonio comprobatum volo. Hic emphaticè monet, ejus abuſu cerebrum contabeſcere & areſcere, Indeque functionibus animalibus, præſertim memoriæ valde obeſſe. Propter ſucceſſivam enim lymphæ exhauſtionem tandem nutrimentum cerebri roridum colliquefacit, & ſub forma ſeri evacuat nicotiana tam in fumis quàm pulveribus naſalibus exceſſivè uſurpata. Ita Vir expertiſſimus. Inſpiciantur tabaco-prophororum crania & cerebra. Et noxa impreſſa ad oculum pateſcet. Quoniam verò ſolenni hac die in Parnaſſo demonſtrationi Anatomicæ non eſt locus, ſuffecerit ex *Boneti ſepulcretò* unum alterumve demortui tabacophili caput in medium producere, omniumque ſiſtere conſpectui, ut *Rhinocritus* aliique contradicentes de tabaci naſalis noxa ad oculum convincantur.

Credimus jam tibi ait *Apollo.* Aliâ occaſio plus temporis ſuppeditabit ad iſta inſpiciendum. Nunc tandem indagine longiori miſſâ ad deciſionem eſt progrediendum. Tu *Dietete*, qui ultimus deſiiſti loqui, primus tuam profer ſenſententiam. Non ſic, interrumpit *Moroſophus*, Etiam mea de Tabaci noxa alleganda eſt experientia. Pixis tabacaria innumeros mihi ſimiles, ideſt, ſtultos reddit, unde ingenioſiſſimus ſcrip-

ſcriptor modernus in ſuo *Centifolio ſtultorum in quarto*, *ſeu extremè delirantium in folio*, non poſtremum locum cônceſſit iſtis naſorum amanuenſibus, qui totos dies in iis tabaco perfricandis occupantur. Horum enim nares ſicuti repræſentant Cornua iſta atra & fuliginoſa, quibus in templis extinguuntur luminaria, ita eorum cerebra fumis ex pulvere tabaci obſcurata ad rectæ rationis lumen adeo cœcutiunt, ut perſpicere neſciant nil aliud ex *pica naſi* conſequi, niſi cerebellum confuſum, corrugatam frontem, lippientes oculos, aures ſurdaſtras, naſos fætido fluore ſtillantes, collare defædatum, maculatam veſtem, inquinatum ſtrophiolum, & burſam nummis exinanitam. Novi enim, qui quotannis quinquaginta florenorum expenſâ vix ſuo amicorumque naſis ſatisfaciunt ô Stolidos naſorum popas! dignos, qui cucullis bene nolatis donati inter patres ſtultorum conſcriptos primo loco ſedeant.

Moroſophi finitâ parentheſi ita loquebatur *Dietetus:* Quandoquidem ſic jubes magne *Apollo*, breviter ediſſeram, quæ mea mens ſit, & æquitati maxime conſentaneum judicium. Naſorum Tabacoprophororum fæditas jamſtat in aprico, eorumque contra *naſi picam* iniquè inſurgentium injuriæ, nec non contra Parnaſſum ipſum & *Apollinis* Majeſtatèm rebellio ſole meridiàno clarius diluceſcunt. Edico igitur turbam iſtam tumultûs ream, naſis ſic mutilatam in patriam & ad ſuos relegandam, naſos verò amputatos antiquo gentilium more buſto deſtinandos, eorumque collectos in urnam cineres ad Parnaſſi pedem tumulandos eſſe, impoſi-

posito ad perennem rei gestæ memoriam Cippo cum hac inscriptione.

Diis Manibus sacrum.
Sta, quicunque hac transis viator,
Et disce hominum sordes.
Isto sub tumulo jacent
Frusta mortalium ridicula in cinere.
Jacent magni nominis & Commatis nasi
Macrochini, Rhinarchi, Maraconæ,
Trimalcionis & asseclarum,
Jacent Boccabellæ, Rutiliæ, Nezillæ, Calospudiæ
Nobilium fæminarum;
Pulvere tabacino olim bene saginati.
Sed quod mirêre,
Occubuêre nasi, supersunt vultus,
Orbis spectaculum & ludibrium.
Vos nasoprivi vestris parentate naribus
Anniversariâ solennitate
Inspersis flosculis tabacinis.
Tu autem viator
Fabulam hanc dignam memoriâ
Omnium gentium narra tabacophilis.
Intellexisti satis.
Cineribus insputa,
Et abi.

Invadebat omnes stupor inexpectatæ sententiæ, quam Musæ ad clementiam proniores justo rigidiorem censentes protestatione interpositâ moderatiorem exigebant. *Rhinocrito* igitur in lege magis versato demandabatur decidendi provincia. Hic antecedenter Dissertationem de *Pica nasi* suo quidem judicio sat elegantem, & ra-

rationi atque experientiæ maximè congruam à tabacophilis iniquè injuriarum postulari ostendebat, cum de vitiis, abusibus & erroribus scribere liceat, si personis parcatur. Juxta illud Poëtæ:

Licuit semperque licebit
Parcere personis, dicere de vitiis.

Deinde longè aliud de illa judicium esse Virorum Eruditissimorum referebat, in cujus confirmationem literas à judiciosissimo & doctissimo potentissimi Borussiæ Regis Consiliario & Historico, D. *Hermanno Adolpho Meindersio*, Viro scriptis editis famigeratissimo ad Cl. & Amplissimum Vium, D. *Germanum Dono Hunnincinum* exaratas altâ voce legebat hujusce tenoris:

Hic ille est, quem autor alias *Eudoxum* vocat in Offilegio suo Historico Physico.

Scriptum elegantissimum Doctissimi atque sagacissimi viri Cohausii nostri, sive coi nostratis de Pica nasi sive hodierno usu atque abusu Tabaci seu herbæ Nicotianæ, quod ad me gratis transmiseris, de eo, ingentes tibi vir Clarissime habeo atque debeo grates, nisi quod unicum illud desiderem, quod Auctor longè celeberrimus atque Nasutissimus id est odoratissimus, non ipsum hoc ipsemet longè dignissimum hoc nostro seculo nec non eruditissimum scriptum ad me transmiserit. Quia summam & egregiam eruditionem, & virtutes viri eximii & non vulgaris valde Veneror & æstimo, Et ut me in amicitiam & familiaritatem ipsius insinues, & literarum commercium cum eo concilies, maximopere rogo. Scriptum illud egregiè satyricum maximâ animi

mei voluptate legi ac penitus devoravi. Et illud publicè asserere non vereor, mihi nullum scriptum satyricum inter tot Eruditorum virorum sarcasmata & lusus ingenii magis arrisisse. Habemus sanè & habet Westphalia, nostra patria ingenium, quod possit maximorum virorum etiam exterorum ingeniis & geniis si non exæquare, saltem opponere & eodem loco reponere. Si enim aliorum scriptorum scripta satyrica v. g. Erasmi Moriam, Mori Utopiam, Heinsii asinum &c. & aliorum Ejusmodi satyricorum sarcasmos justo calculo æstimes, ad hoc amici nostri scriptum nihil sunt. Quia is miscuit utile dulci, uti Hippocratem Coum, ideſt Cohausium decet, & valetudinem ac sanitatem mortalium egregio ludendi & criticandi generi & operi sive emplastro commiscuit. Ego enim ut verum fatear, nescio quid magis mirer in Viro longè eruditissimo, utrum stylum & scribendi solertiam, ac omnium poëtarum atque celeberrimorum auctorum exactissimam cognitionem, utrum profundissimam in arte medica scientiam atque experientiam, nihil magis optans, quam ut mihi talis Æsculapius & Archiater contingeret, si semel ægrotare & mori necesse erit. Utinam felix illud & fœcundum ingenium atque excellens judicium ad res serias & studia nostra antiquaria, sive Historico- Politico- Juridica se vellet applicare, & Historiam nostram patriam illu[illegible] è nihil [illegible] magnum aliquid & [illegible] inge[illegible], ac à tali manu [illegible] abit atque abri[illegible] suum cuique pul[illegible] est sed perjucundum

dum ac maximè gloriosum, quod nos in omni doctrinarum genere viros illustres atque excellentes in patria nostra Westphalia habeamus, & cum politissimis nationibus ingeniorum varietate & opusculorum literariorum gloriâ & præstantiâ certare, & palmam multis præripere queamus. Quare vir illustrissime etiam atque etiam te rogo, cures ut omnia illius Excellentissimi viri scripta hactenus edita, inprimis verò Neotheam quamprimum nanciscar, pretium quod pro me exposueris, lubens redditurus. Eum quoque incites velim, ut jocoseria de Westphalorum moribus, vitiis, & virtutibus, quam primum poterit, publico diutius invidere nolit, & me in numerum amicorum suorum recipere non dedignetur. Vale & fave tuo amico & cultori devoto

Hermanno Adolpho
Meindersio.

Absolutâ lectione, aliisque præcipuorum virorum testimoniis in laudem autoris *picæ nasi* adductis merito opusculum illud ab *Appolline* approbatum, in *Nasiones* verò istos, utpote quorum tumultus manifestam contra Remp. literariam rebellionem oleat, quæ tandem vel in ipsum Parnassum ejusque sacratissimum Principem ausus suos sit exertura, graviter animadvertendum esse censebat. Quoniam verò non omnes par criminis malitia obstrinxisset (à Vir-...que & fæminis sexûs imbecillitatem ...tionem exigere) ideo in uno tan-...aso Thrasonis, qui tumultuariæ co-

cohorti vexillum erexiſſet, exemplum eſſe ſta- tuendum, & hunc quidem ad aram *Themidos* in templo *Apollinis* cum addita in perenne mo- nimentum epigraphe ſuspendendum, cœteros verò omnes ſuis vultibus reſtituendos eſſe ju- dicabat, nimium crudele aſſerens, ſi tot venu- ſtæ facies deformatæ, totque egregii naſi de- truncati reſtitarent. Epigraphen hanc adjicien- dam volebat.

Divæ Themidi ſacrum
Quicunque ad has aras vota facturus accedis,
Sta, & ſuſpice ſuſpenſa ex tholo
Spolia Nicotianæ Proceribus erepta.
Naſi ſunt Comitum Ferrini & Knaſtri,
Seditioſæ intabaccatorum turbæ Ducum.
Quos in pœnam juſſu Apollinis reſciſſos
In perpetuum rei monimentum
Hic ſatyri ſuſpenderunt.
Diſcite ſobrietatem moniti, Contemnere Pætum.

Addebat porrò ex re ærarii publici fore, ſi tabaco- philis & pro fumandi & per nares captandi li- centia annuum tributum imponatur, quod uti- que ad multa florenorum millia eſſet aſcenſu- rum majori equidem cum imperantium laude, quàm quando Veſpaſianus lotio tributum im- poſuit.

Quæ quidem ſententia multis more Juris Conſultorum extenſa periodis proferebatur, mitiòr tamen longè benigniorque, & inprimis ſexui fæmineo favens plurium aſſenſum elicie- bat, nondum tamen executionem, niſi prius & tertius aſſeſſor ſuam ſententiam declaraſſet.

Quo-

Quocirca finiente *Rhinocrito* sic fari incipiebat *Peticastes.*

Testor sacratissimum hunc musarum consessum, severior nimis utraque & *Dieteti* & *Rhinocriti* est sententia. Præmittam decidendi rationes. Non dissimulandum est *Nasones* quosdam convitia seu potius nugamenta in *Picam nasi* eructâsse, quibus quis prudens succenseat? Ejus autori plus est in cerebro salis, quam ut vel minimùm bilis inde fuerit ei mota. Dixerit scripseritve Bataviæ *Pedantarcha* ei contra regulas prosodicas fortè verbuli quantitatem excidisse, & quod tamen non demonstravit, longiori aut breviori pede voculam incedere, quid scriptor physicus medicus & moralis istam dicam moretur? non affectavit author hoc scripto laurum, aut equitare in Bellerophontis Caballo: neque eum

Fœcundi calices unquam fecêre disertum.

Abusum rei utilis dum detexit, aptè satis ex antiquissimis poëtis desumpto & ingeniosè applicato hinc inde versu non tam pedes prosodicos, quam veterum propria verba, eorumque nitorem & proprietates attendens & retinens, illius futilitatem & vanitatem ostendit. Unde meritò illi laus debetur, quod circa rarum novumque argumentum stylo prosometrico doctè sit versatus. Sed quid mirum, hoc *Pætonasis* displicuisse? irritavit eos acriùs *pica*, quid insolens, si vicissim ab iis, quibus in nares emota est bilis, dente mordaci sit petita? ipsum hoc autor satis præviderat. Habuerit ip-

se

ſe Bataviæ Rhinoceros prolixiorem proboſcidem, is ejusdem ſcientiæ aut experientiæ nehilum detraxit. Noverat jam antequàm calamum Chartæ admoveret, ſibi cum torvis alitibus fore negòtium. *Orbilii* vulpem fœtentis virgulam non verebatur. Clamor momorum elaſticum eſt, quo ſcriptores non moventur, niſi ad novos & præclariores conceptus. Dignus quidem cenſurâ eſt Ariſtarchus ille & lepidus dicam an illepidus interpres, ſed & ipſe Auctor prædixerat futurum, qui ſexui fomineo pulviſculos naſales depereunti aliquando vernaculâ *Picam naſi* exponeret. Quis igitur illi ſuccenſeat? Quis curet gemitus turturum aut moretur albas columbulas catulli? Quis in Virginum elegantes naſulos amet ſtringere mucronem? Abſit in *Helicone* contra pulchrum ſexum crudelem pronunciare ſententiam. *Et* muſæ ſunt virgines licet admodum anus, quidni & tabacophilarum Virginum patronæ? Quis dixerit, an nulla harum *tabatierculam* quoque poſſideat, depereatve? illarum patrocinium certè non deſpiciet *Apollo*. Animadvertitis procul dubio ſacratiſſime *Aganippidis* Domine, & vos Auguſtiſſimæ ſorores, quò mea ſententia vergat. Infrà ultionis dignitatem res poſita eſt. Quilibet cum ſuo naſo jam bene emuncto domum dimittatur, ne eorum reditus in patriam naſi mutilatione deformis ſit.

Mirabantur omnes ſolidiſſimum *Peticaſtes* judicium. Et tu ait *Apollo* non ex *Hippocrene* tantùm, ſed & ex ipſo *Themidis* fonte videris potâſſe. Naſum habet, quod dicis.

Eſt

Est aliquid, quò tendis, & in quod dirigis arcum.

Hæc itaque definitiva nostra esto sententia. Non sic Augustissime *Apollo*, interrumpebat *Morosophus*, hæc acceleranda est. Etenim cum mihi provinciam commiseris horum trium Assessorum judiciis & meam crisin addendi, mearum quoque nunc partium erit, illorum prolatis sententiis & meam subjungere. Benè mones, inquit, *Apollo*, fas est & placet tuam quoque audire. Sed Sophum te nunc præsta, non Morum. De nasis enim non magis quàm de corio humano est ludendum. Meo nomini ac Characteri, inquit *Morosophus*, me conformem exhibebo. Sapientiæ aliquid addendum est de mixtura dementiæ. Etiam sæpe opportunè verum locutus est ridens Morio. Præcedat Sapientia, stultitia sponte sequetur. Non enim mihi in cerebro ea est rationis machina, ut filum ratiocinationis omnino per omnia æquale in longum valeam protendere. Conclusi itaque mecum in confratrum meorum jam prolatam sententiam neutiquam pedibus ire, sed aliam longè viam calcare. Politices regula est, ubi turba est peccantium & error publicus, iniquam esse & periculosam ultionem, ac pœnam. *Quidquid multis peccatur, inultum est*, canit *Lucanus*. Necessaria venia est, ubi totus deliquit exercitus. Ubi pauci peccant, meritò in singulos distringitur Imperatoris severitas. Cum igitur nasi Pica & tabacomania in omni nunc gente innumerorum sit vitium, insanum foret in iram aut ultionem erumpere. Integer fere hic

ad Parnaſſum *Rhinophororum* eſt exercitus. Quid igitur aut novi hodie moris aut in altero ſexu imbecillitatis obliti, in pœnam aut vindictam conſurgemus? Nolo illos aut damno aut ignominiâ naſi ablati afficere. Non exigit corporis ſupplicium culpa naſi levior. Interim tamen nec ſine mulcta dimittendi ſunt, ut iſto ad Parnaſſum tumultu peccâſſe ſaltem ſemper meminerint. Non luant in cute & naſo, ſed in ære, in ſuis puta capſulis & pixidibus tabacariis. Hiſce nemo non ex tuo juſſu privetur, & mihi omnes tradantur. Non dubito quin ex auro argentoque plurima illarum pars conflata ſit, & aliqua etiam inſigni gemmarum opulentiâ tumeat, ex quibus à me ſat carò divendendis pol! quæ acceſſio fiet ad ærarium Parnaſſi publicum? Ipſe cluam tabatierecularum inſtitor, & quod dici ſolet, in burſa mea ſtultus. Hæc enim mercatura nec principem dedecet. Princeps *Conti* ex Dania abiens in Poloniam coronæ futurus candidatus, ſe rhedæ poſtariæ commiſit, in qua caſu fractâ, quam ſecum adduxerat, ciſtâ inſignis quantitas *tabatiercularum* effuſa, & hinc inde per vias diſperſa reperta eſt, quas in iſtam regionem deportare, & magnatibus donare deſtinaverat. Intentionem Principis nemo explicare potuit, niſi quidam Gaſco hoc enunciato: *Ah Cadedis, il volût les prendre par le nez.* Ita ego decumanos iſtos tabacophororum naſos traducam. Omnes quotquot ſunt pixides ſuas ex auro, argento, chalybe, cupro, ebore, teſtudine, cornu, lignoque fabrefactas & tabaco Hiſpanico, Braſilienſi, Bononienſi, Imperiali, Triden-

Ita referunt lettres Galantes tom. I. p. 217.

dentino, Colonienſi, Snebergenſi, Monaſterienſi, Lovanienſi, Leodienſi & neſcio quâ non fœce repletas mihi extradant, aut triplo pretio redimant. Neminem namque futurum putem, qui famam ſeu potius infamiam ſubire volet pixidis in Parnaſſo in pœnam naſi amiſſæ. Quod ſi fortè detrectent, omnes collectas in Hollandiam deferam, ubi inter rerum curioſarum amatores eas ceu monumenta naſi mulctati rariſſima, in gazophylaciis ſervanda, carè ſatis diſtraham, Batavisque in novitatem prurientibus novos naſos apponam. Et hæc mea eſt ſententia. Pervicaces naſi novis ſaltem naſis puniantur.

Benè, inquit *Apollo*, tu inſipientis ſapientiæ alumne munere tuo es functus. Magna ingenia mixturam dementiæ habent, ut Romanus ait ſapiens, quidni cum hanc tu habeas, ingenium quoque tuum magnum judicare fas eſt. Verùm nos, qui ad clementiam inclinamus, tuam hanc aliorumque ſententiam adhuc magis moderari conſtituimus. Decernimus itaque, ut ſine cunctatione per Satyros naſi omnes ad montis pedem rurſus deferantur. Putamus enim ſat pœnæ eſſe, quòd tam diu iis carere, & multiplici ſpem inter & metum cogitatione ſuſpenſi eos ſibi reduces exſpectare fuerint coacti. Electio autem optioque, num quis ſuum aut alienum recipere malit, cuique libera eſto. Dein confeſtim absque ulteriori tumultu ad ſuos lares regrediantur. Tu autem doctiſſime *Guido Patine* Profeſſor Medicinæ Regie (*Apollo* in eum inter Eruditos præſentem affabilem vultum dirigebat) *Mercurio* te dabis comitem, & turbam iis verbis, quibus

 olim

olim *Rhenau dotum* Medicum Monti-pessulanum contra te causâ cadentem allocutus es, dimittes.

Patinus, qui libentiùs id muneris recusâsset. Verbis *Marci Catonis: arduum est Quirites ad nasum* (ille ventrem habet) *verba facere*, *qui caret auribus*, non audens tamen jussis refragari, mox assurgebat, & *Mercurio*, Satyris & Asellæ sportularum nasutarum bajulæ sese comitem dabat. Haud mora descendebant unà Parnassum, ubi inter sacrum saxumque stans turba,

Et satis ipsa luens pœnam formidine pœnæ.

Anxiè sententiam & nasos suos exspectabat. Suspecta namque esse cœperat lenti judicii mora, ejusque anceps eventus metu suspenderat conscios animos. *Patinus* naso suo grandi & aquilino verendus, modesto & gravi gessu accedens, & subridens idiomate patrio elatâ & forti voce sub altissimo omnium silentio & pavore turbam sic alloquitur: *Messieurs & Mesdames vous avez perdus*, *& pourtant vous avez gaignés*, *& ainsi tout le monde vous croira heureux. Sçavez vous comment? c'est*, *que quand vous étes venus au Parnasse*, *la plus part de vous étoit camus*, *& vous en sortez à cette heure avec un bon pied de nez.* Domini & Dominæ, vos perdidistis, & tamen vicistis, sicque totus mundus vos credet felices. Novistis quomodo? quando ad Parnassum venistis, plurima vestrûm pars simis erat naribus, jam verò inde abitis omnes cum egregio naso pedem longo. Subjungit *Mercurius*, en vestros singulorum nasos. A pœnâ omnes absolvit *Apol-*

Apollo, decernens tamen, ut cuivis liberum ſit, aut ſuum, aut ſi veteris faſtidia naſi cuipiam contigerint, alienum recipere. Quo vix prolato Satyri naſos ex ſportulis in unum cumulum excutiebant. Vah quis mox fremitus? quis tumultus? quilibet præ altero citiùs ſuum ſibi quærere naſum, irruere omnes in acervum, & cum in iſta confuſione nemo ſuum aut dignoſceret aut obtineret, quilibet ſaltem, quem primò obvium caſus dabat, lætus recipere. Juſſerat autem *Apollo*, ut celeberrimus adeſſet *Tagliocotius* in apponendis & reſarciendis naſis notiſſimâ per orbem dexteritate famigeratus, qui *Mumiali Balſamo* ex Parnaſſi pharmacopolio ſecum allato illitos omnium naſos quantocyùs aſſolidaret, quod *Æſculapio* propitio & *Mercurio* verbum illud fatale *Coniungo* pronunciante dicto citiùs fiebat ad omnium ſtuporem.

ô ridiculam metamorphoſin quâvis

Ovidiana mirabiliorem! equidem

Optat, tangat ut è multis quælibet una ſuum. Ovid. de Nuc.

Verum, ô fatalem cataſtrophen!

Deteriorem omnis tulit illic fæmina naſum.
Nec Sthenobæa minùs, quam Creſſa excanduit, & ſe
Concuſſère ambæ, litem de nare moventes
Altera de alterius. Mulier ſæviſſima tunc eſt,
Cum ſtimulos iræ pudor admovet.

 Pa-

Pætophilla Virgo patritia non proletariæ formæ nasum *Macrorhini* obtinuerat. *Magnus parvis sæpe jungitur.* Grandis ac rubicundus hic botriformisque gnomo in area faciei lacteolæ stabat ad vultûs attoniti spectaculum. Monstrum erat cum tanta specie nasum tam deformem convenisse. Heu! ingeminabat; nasus hic quàm fastigio meo indignus! quis ad pridem notos vultus, si domum rediero, non exhorrescet? quis eos, à quibus sæpissime justissimâ veneratione pependit amplius colet? nil nisi oris argumentum & tenor restat, quibus me eandem probem & ad fidem incredulos cogam.

Nasulus *Pætophillæ* è contra cesserat *Macrorhino*, cui intra extuberantes buccarum colles penitus immergebatur, ut potius jam sine naso, quam nasutum credidisses. Prô quàm ampla hic risûs materies! *Macrorhinus* ad populares suos conversus nil magis querebatur, quàm jam deesse sat patula nasi foramina tabaco largiùs intrudendo.

Nemesianus Ecl. 4. *Nasus rapit. Usus in arcto est.*

Interim magna inter hunc & *Pætophillam* surgebat contentio de restituendo naso in integrum. *Optima summi nunc via processûs*, fortassis ad supremam curiam devolvenda *Macrorhinus* de majori adhuc sibi quàm *Pætophillæ* illata injuria protestatus, etiam pueris inquit, notissima regula habet:

Quæ maribus solùm tribuuntur, mascula sunto.

Et

Et mihi nasus nunc est fæmineus. Non vir sim, si patiar ludibrium. Quotquot aderant, jocos & sarcasmos in nasum ingerebant, & eum à larido ad macrum, *à sue ad capram*, quod in proverbio est, devenisse jocabantur.

Amintho cesserat pro spolio nasus *Longurii*, cujus apex fere mentum attingens totum os tegebat. Jam nares pilosos notabat, & grandes mirabatur alas. Jam risus jam ejulatus reciprocabat. Ah quantam, ait, hic stylus projicit umbram ori mentoque! & quia linguam gallicam callebat, sequentes versus ingeminabat:

Mes amis en quelle boutique
d'Une sotte façon antique
Ce malheureux nez fut il fait?
Quel nez de l'homme, qui se porte,
On n'en vit jamais de la sorte.
Ha! que j'en suis mal satisfait.

Hæsere plures raptâ voce, mutuum vultum inter se convertentes, id quisque miratus in alio, quo ipse vicissim mirantem rapiebat. Hi Deos invocabant. Alii mittebant lacrymas, & sublatis in altum manibus deplorabant fati malignitatem. *Boccabella* consternata vix retinuit fugientem spiritum instar lymphatæ in se ipsam sæviens. *Nezilla* direptum manu cultum capitis laceratis crinibus projiciebat in terram. Verbo nulli redierat pristinus nasus, sed ad aliorum vultus pervenerat. Unde nil nisi querelæ & lamenta. Fremere omnes, dentibus frendere, & diris devovere *picam nasi*, Parnassum,

Pætophilla Virgo patritia non proletariæ formæ nasum *Macrorhini* obtinuerat. *Magnus parvis sæpe jungitur.* Grandis ac rubicundus hic botriformisque gnomo in area faciei lacteolæ stabat ad vultûs attoniti spectaculum. Monstrum erat cum tanta specie nasum tam deformem convenisse. Heu! ingeminabat; nasus hic quàm fastigio meo indignus! quis ad pridem notos vultus, si domum rediero, non exhorrescet? quis eos, à quibus sæpissime justissimâ veneratione pependit amplius colet? nil nisi oris argumentum & tenor restat, quibus me eandem probem & ad fidem incredulos cogam.

Nasulus *Pætophillæ* è contra cesserat *Macrorhino*, cui intra extuberantes buccarum colles penitus immergebatur, ut potius jam sine naso, quam nasutum credidisses. Prô quàm ampla hic risûs materies! *Macrorhinus* ad populares suos conversus nil magis querebatur, quàm jam deesse sat patula nasi foramina tabaco largiùs intrudendo.

Nemesianus Ecl. 4. *Nasus rapit. Usus in arcto est.*

Interim magna inter hunc & *Pætophillam* surgebat contentio de restituendo naso in integrum. *Optima summi nunc via processûs*, fortassis ad supremam curiam devolvenda *Macrorhinus* de majori adhuc sibi quàm *Pætophillæ* illata injuria protestatus, etiam pueris inquit, notissima regula habet:

Quæ maribus solùm tribuuntur, mascula sunto.

Et

Et mihi nasus nunc est fæmineus. Non vir sim, si patiar ludibrium. Quotquot aderant, iocos & sarcasmos in nasum ingerebant, & eum à larido ad macrum, *à sue ad capram*, quod in proverbio est, devenisse jocabantur.

Aminthe cesserat pro spolio nasus *Longurii*, cujus apex fere mentum attingens totum os tegebat. Jam nares pilosos notabat, & grandes mirabatur alas. Jam risus jam ejulatus reciprocabat. Ah quantam, ait, hic stylus projicit umbram ori mentoque! & quia linguam gallicam callebat, sequentes versus ingeminabat:

Mes amis en quelle boutique
d'Une sotte façon antique
Ce malheureux nez fut il fait?
Quel nez de l'homme, qui se porte,
On n'en vit jamais de la sorte.
Ha! que j'en suis mal satisfait.

Hæsere plures raptâ voce, mutuum vultum inter se convertentes, id quisque miratus in alio, quo ipse vicissim mirantem rapiebat. Hi Deos invocabant. Alii mittebant lacrymas, & sublatis in altum manibus deplorabant fati malignitatem. *Boccabella* consternata vix retinuit fugientem spiritum instar lymphatæ in se ipsam sæviens. *Nezilla* direptum manu cultum capitis laceratis crinibus projiciebat in terram. Verbo nulli redierat pristinus nasus, sed ad aliorum vultus pervenerat. Unde nil nisi querelæ & lamenta. Fremere omnes, dentibus frendere, & diris devovere *picam nasi*, Parnas-

 sum,

ſum, Muſas, Satyros, totumque literatorum conſeſſum. Verùm hæc omnia nonniſi ventis credebantur. Ferenda ſors erat. Non magis angebat omnes, quàm quòd inter uxores & maritos domum redituros vix ad notitiam ſupereſſet indicium ob vultus à naſis peregrinis alienatos.

Mercurius ulteriorem tumultum indignè ferens monet confeſtim, niſi pejora exſpectare velint, à limitibus Parnaſſi ſecedere, tum tandem omnes fugam capeſſere

Virgilius. *Non ſecus ac fuſo ſi quando grandine nimbi*
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & Agricola.

Omnes cum egregio naſo ſat emuncto atque à Satyris purgato vexatoque domum properabant. Ubi quid contigerit, à me poſtea ex Parnaſſo reduce intelligetis. Nempe non præviderat *Apollo* abſtruſam in ſua ſententia abſurditatem, & ex ea damna ſecutura. Si in partem judicii veniſſem, longè aliter decreviſſem, & dumtaxat hoc: ut unus ſaltem ſine naſo domum remitteretur, qui coeteris Pætophilis exempli & remedii loco impoſterum ſerviret. Declarabo ingenioſo *Trajani Boccalini* commento.

Cent. 1. Relat. 81. Joannes *Zecca* percelebris Bononienſium Medicus publicè in Parnaſſo affixerat Schedas, quibus notificabat, ſibi notam eſſe artem & remedium probatiſſimum ad obſcenæ impuræque veneris amaſios à lue perpetim præſervandos. Hujus revelationem divitibus digno pretio, egenis gratis offerebat. Nemo non hujuſce ar-

arcani desiderabat scientiam. Quod cùm medicamento quodam pretioso consistere judicarent, stupuêre videntes, à Medico effigiem hominis pulcherrimi, cui venerea lues nasum absumpserat, in remedium produci. Addebat utendi methodum hanc esse, ut quoties quis ad illicitam venerem incitaretur, confestim inspectâ hac effigie perpenderet, quanta ex jactura nasi, qui faciei ornamentum est, infamia, quodque ex fædissima voluptate corporis atque animæ periculum homini immineat. Tentârunt curiosi juvenes remedium, & probatum compererunt. *Unius pœna est aliorum metus.* Utinam damna ex abusu tabaci nasalis cerebro totique corpori obvenientia in pari ectypo ostendi possent, haud dubium est, quin plurimi abstinentiam ab eo perpetuam sibi imperarent. Unus itaque naso mutilatus innumeris in Exemplum suffecisset.

Redeo ad Parnassum, in quo adhuc me detinebat Ecstasis. Haud mora omnis turba evanuit ad suas festinans regiones. *Mercurius* cum *Patino* Satyrisque in Parnassum redux jussa *Apollinis* effectui data, & omnem populum jam excessisse & evasisse nunciat. Bonum est inquit *Apollo*, nos tandem istis crabronibus esse liberatos. Vos Musæ præparate Cytharas, ut festivo carmine actum hunc claudatis. Mox oculos per cuncta Eruditorum subsellia circumferens eos in me defigebat. An inquit jam tibi satisfactum est nasali hac comædiâ, aut num aliam satisfactionem ab adversariis postulas? Obstupescens, quod *Apollini* præsentia mea innotuisset, actutum è sede arrecto & in

terram remisso corpore gratias humillimas agens nasorum audaciam sat castigatam respondeo, & proin mei in patriam dimissionem submissimè rogo. Notaveris utique, *Apollo* inquit, spectator præsens hodierni nasicidii scenas omnes, quas in acta annalesque relatas, nostrisque Archivis insertas volumus (*Res memoranda novis annalibus*) tibi præcipientes, ut exacto quo potes calamo omnia, quæ hìc vidisti & audivisti, describas, nobisque primùm, & dein Reip. literariæ communices, quò dispersis quaquaversum per orbem *pætonasis* comædia innotescat. Et vos Satyri *Pegaso* ocyus ephippium phalerasque injicite, quò celeri vectore euro citiùs ad suos lares reducatur.

Juvenal.

Ego jussis executionem (quam hisce nunc facio) promittens, magnâ reverentiâ templo *Apollinis* valedico, ante cujus fores me exspectabat *Pegasus*, venienti, quasi agnosceret, adhinniens. Jam auribus.

Virg. II. Æneid.

Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos.

En ait *Mercurius Bellerephontis* equum singulari sanè *Apollinis* favore tibi concessum, quem ascendens vel ipsas nubes vertice & plus ultra tanges: *Sic itur ad astra.* Quibus *Mercurii* verbis animatus (maluissem enim ejus fratre Arcadico *Sileni* caballo vectus lares repetere) in equum attollor. Tum ille hinnire, spumare, calcitrare, & jam alas ingenti mei succussione quassans aëriam meditari fugam. Quo qui-

quidem motu, nec minus aërii itineris terrore perculſus ex profunda ecſtaſi mihi videbar reddi, adhuc confidens in Muſæo ad pluteum, ubi illa me apprehenderat. Arripio mox calamum, juxta *Apollinis* juſſa, quæ videram, annotaturus, & orbi literato recitaturus, *quod ſic me ſervârit Apollo.* Sed inſtar alto ſomno ſopiti, qui importunè moleſtatus oculos quidem aperit, mox tamen in ſomnum relabitur, ſenſibus nondum excitatis, in eadem mentis abſtractione perſevero. Ferri videbar vectore *Pegaſo* in celeberrimum orbis emporium urbem *Amſtelodamum*, ubi penes amicum *Parlherbeum* deſcendebam petens hoſpitii favorem. Gratus advenio & bene acceptus. Quos hoc loco luſus fecerit naſus, jam pergam recenſere. Incipit novum *Martyrologium naſorum.*

Horat. I. Sat. 9.



LU-

L U S Û S

In nasos tabacoprophoros

S A T Y R I C I

CONTINUATIO.

Sive

PARS ALTERA.

FAvete Amici. *Nunc è diverticulo repetetur fabula.* Referebam amico integrum in Parnasso cum nasis institutum processum. Imprimis infelix sors *Pœtophillæ* nasum *Macrorbini* infausto cambio adeptæ adhuc animum tangebat. Veniebat in miserationis consortium amicus, & ajebat se nôsse hanc Virginem; non potuisse autem infelicius fatum isti vultui, in quo veneres sedem fixisse videbantur, contingere. At illa, inquit, justa pœna est. More virili nares continuò farciens tabaco nasum sibi fingebat virilem, quem nunc reapse obtinuit. Mulier nasum Nicotianâ, ejusque fumis os pascens se similem reddet illi *Tartuffio*, quem sic graphicè depingit *Balsacius*. *Il sort de son nez & de sa bouche de Vapeurs, qui poisonnent. C'est le plus haissable de tous les mortels. Un animal de cette odeur est à craindre. Son infirmitè*

mitè fait fuir ceux, qui l'approchent. Et l'on ne peut ſans preſervatif tenir contre un punais ſi vain, & ſi inſupportable. Reddam Latinè. Vapor ex illius naſo & ore exit intoxicans. Mortalis inter omnes maximè odio habendus. Tam putens animal meritò metuendum eſt. Ejus lues fugat approximantes. Nemo ſine prophylactico apud cimicem tam vanam atque inſupportabilem ſtare poteſt. Plura addebat vir præclarus, germinis Verginii eximius quoque ſi quis alius, in nare oſor, quæ hic referre non attinet. Diſcurſum verò mox interrumpebat Vir affatum petens, quem effuſa in populo fama, quod me ex Parnaſſo reducem hæc amici domus teneret, nec minùs ipſa Curioſitas aut potius neceſſitas ad hanc compulerat. Jubeo intrare, & en *Naſidienus* erat, qui quæ nova in Parnaſſo contigerant, expiſcaturus accedebat, ſive quod novellarum ſedulus inveſtigator, & ex illorum numero eſſet, qui naſum, ut dicitur ubique habent, ſive potiùs, quod ejus quoque uxorcula turbæ tantos ad Parnaſſum motus excitantis ſocia domum nondum rediiſſet. Ego namque celerrimo Pegaſo iter confeceram, illis per plura regionum intervalla abſolvendum Solicitus de uxoris incolumitate; quis amice, ait, ſtatus eſt? proceſſûs naſalis in curia Apollinea? Uxor mea etiam ex illis eſt, quas tua *pica* mordaci nimium roſtro (avem putabat) ſauciavit. Quocirca cœteris quoque Mulierculis, ut ut me diſſuadente, ſe comitem dedit ad montem bicipitem, tum ut curioſitati litaret; non neſcis enim quantâ fœminæ Batavæ Malaciâ laborent loca

exte-

extera videndi, tum maximè, ut coram *Apolline* nasi offensi querelas deponeret. Os enim habet, quod, uti quæ vult, comedit, sic & quæ vult, loquitur. Jam verò nescio quis vagus rumor evulget fabulam de amputatis omnium naribus. Cui num quid veri subsit, à te intellecturus venio, neque dubito, quin pro veteri nostra amicitia id à te mihi candidè sit aperiendum. Nam quod tibi non dissimulo, ipse à tabaci nasalis usu aversus pessimam *Pæticapii* consuetudinem in uxore semper angue pejus horrui. Sed quid remedii? imperium illa in me & affectat & obtinet, si pacem laribus velim inquilinam. Nolim, velim, in omnibus ceu dominæ annuendum est. *Sic torquet conjux tormentum optabile.* ô te, inquam, herculè infelicem, cui dominatur mulier!

Stultus, fœmineo qui porrigit ora capistro.

Et infelicem mulierem, cui nasus imperat despoticè, aut os, aliudve corporis membrum. Si illam ad Parnassum turbæ levissimæ sociam pertraxit animi impotentia, dabitur mora parvula, & res nota uti & populo tibi aures tanget. Non scies, quod contigit, ultimus. Sed ne quid te præviè celem, tela enim prævisa minùs feriunt, omnibus recissi sunt nasi. Quid, ait *Nasidienus* recissi sunt nasi? in malam crucem abeat mulier naso mutilata.

Juvenal. (*Si verum excutias facies non uxor amatur.*)

Nunquam ista meos subibit Lares. Imò inquam

quam subibit. Certè nasum referet, tametsi fortè non suum. Mira narras, ait ille, quæ ergo nasorum metamorphosis? brevibus expono fabulam, quomodo nasis omnibus jussu Apollineo amputatis & in unum acervum per Satyros abjectis turbâ magno undique impetu irruente nulli possibile fuerit proprium aut nôsse aut recipere. Nec sic ait cum naso alieno ad me redibit. Abeat ad Garamantas mulier nasatissima. Cui ego arridens paucis mutatis illud *Claudiani*:

Est oculis placitura tuis, insignior auctis
Collibus accrevit nasus, majorque videndum
Se se offert.

Vix dixeram, adest gnatus patri nuncians matrem rediisse, sed adeo ingenti naso deformem, ut vix agnosci potuerit.

Nasata per urbem ostentatur anus.

Utinam ait *Nasidienus* omnibus mulierculis tabacantibus tam decumanus nasus accresceret, abjicerent dubio procul tandem theculas tabacarias. Vale amice. Ego domum propero, fuste uxorem, unde venit, remissurus. Parce inquam *Nasidiene*, parce, ne uxoris feriando nasum proprium deturpes. Recordare dicti Italorum.

Chi si taglia il naso, si guasta il volto.

Abiit ille, quid domi contigerit nescio. Ipsi vos

vos divinate. Apologum si putas, veritatem crede, quod nuper *Nicotandram* inter & *Brutum* tabaci nasalis hostem, atque ita discordes moribus conjuges de ejus abusu ortæ sint contentiones â verbis ad verbera mox devolutæ, ut maritus pugno refractariæ uxoris nasum in egregium clivum elevârit, quo planè alia visa fuit. Hæc sit fabulæ nostræ Apodosis.

Juv. Sat. 2. lib. 1.

Nec pueri credunt, sed tu vera puta.
Mulieres unde gaudent, inde tristantur.
Appositè dixit *Oribasius.*

Trajecerat jam urbem universam de nasorum metamorphosi, & mei quoque adventûs rumor, qui plures ad me alliciebat consultationis gratiâ, ut ut antea *picæ nasi* infestos. Hos inter primus se sistebat *Macrorhinus*, cui *Pætophillæ* nasulus in prædam cesserat, jam tandem Stoliditatis pœnitentiâ ductus. Petit accedendi licentiam, quâ obtentâ intrans rogat humiliter (hic alias insolens medicorum osor nunc pronus genua libenter suavio strinxisset) an nullum præstare auxilium possit sacra ars medica naso pusillo, ut in pristinam virilis staturæ magnitudinem surgat. Respondeo huic fore remedium per prosthesin manu celeberrimi in urbe operatoris, ut vocant *Nasurgi*, novâ scilicet non insitione Methodo *Tagliacotianâ*, quâ pluribus nasos restitutos esse fidem faciunt medicorum annales; curam palliativam fore, si naso artificiali è charta aut lamellis argenteis parato & depicto (quales larvas ars concinnat, ut nemo ascititiam formam deprehendere

Taglicot. Chyr. curt. Blegni Obs. menstr. ad an. 80. p. 121. Hildan. Cent. 3. Obs. 31.

dere possit) truncum vestiat, futurum sic, ut interim diligenti *Lyaei* culturâ paulatim nova nasorum germina ex tenello hoc implantato stipite succrescant.

(*Uno avulso non deficit alter.*) Virgil.

Cui consilio acquiescens postremâ hac methodo, utpote non ingratâ, magnum, *si qua est ea gloria*, nasum præstolans abiit soluto sostro. Ita vel ab inimicis non rarò lucrum accedit medico propter necessitatem, quæ eum cogit honorari. *Jobus* quidem de equo: *gloria narium ejus terror*, sed an nasus *Cyclopicus*, qui vel ipsis pueris terrorem incutiat, tanto honori sit aut decori, penes alios relinquimus judicium. C.39.20.

Dimissionem hujus impatienter ante fores exspectabat Gallus *Monsieur de Courtnez*, non jam more suo cantillans, sed oculis continuò in nasum depressis suspirans, & miras garriens nænias. Jubeo intrare, & luctûs rationes brevibus exponere. Quæ tibi amice inquam gemitûs & suspiriorum causa? is cùm germanico idiomate eam reddere non posset, suo ait: *Ah pauvre, que je suis! mon nez est à cetheur sur un autre visage. Il pouvoit passer pour un maître nez. Tout le monde disoit, qu'il étoit bien placé au milieu de mes deux jouës, & qu'il y presida en nez de bonne mine. Je pouvois dire:*

Il faut, que ce soit un beau nez,
Et qu' aux yeux de Camars il soit bien tourné.

Car j'en ay veu vingt en ma vie,
Ou trente, si je compte bien,
Qui temoignoient avoir envie
De changer leur nez pour le mien.

Mais helas! sous un petit nez une grande bouche a mauvaise grace. La nature avoit été soigneuse de m'en donner aussi un grand & suffisament large pour prendre du tabac. J'avois un nez bien blanc. Le present, que j'ay reçu, est bordé de carboncles, & meublé de joyaux de Bacchus. Je crois, que c'est le nez d'un Allemand, qui aime boire Monsieur Docteur, n'ay je pas raison de me plaindre d'un si grand malheur? Je passois toûjours pour beau garçon, & j'avois dans le visage ce, je ne sçay quoy, de bonne rencontre, qui plaisoit d'abord, & qui faisoit, que le beau sexe me vouloit du bien. Je peu dire selon le Catulle:

Multi illum pueri, multæ optavêre puellæ,
Idem cùm Satyri carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavêre puellæ.

Mais voila à cetheur le miserable portrait de mon exterieur, si changé, sur lequel il sera malaisé de me connoitre. Plura garrire & queri conantem interrumpebam, & ultro concedebam, illa omnia sic se habere. Non ingratum erit, priusquam responsum subjiciam, ridiculas Galli nænias Latinè reddere: Ah me misellum! nasus meus jam locatus est in vultu alieno. Transire poterat pro naso principe. Nemo non dicebat aptè positum esse in medio genarum, ibi-

ibidemque præſidere inſtar naſi bonæ ſtaturæ.

Poteram dicere: neceſſe eſt hunc bonum eſſe naſum, & judicio ſimorum belliſſime formatum. Si rectè namque computo, viginti veltriginta meâ vitâ vidi, qui conteſtati ſunt ſe deſiderio teneri ſuos naſos cum meo commutandi, ſed eheu! ſub parvo naſo magnum os exiguam habet gratiam. Natura ſolicita fuerat mihi largiri grandem, ſatiſque largum captando tabaco. Naſum habebam probè candidum. Præſens, quem recepi, conſitus eſt carbunculis & Bacchi gemmis. Naſum hunc credo eſſe Germani potatoris. Mi Domine Doctor, nunquid cauſam habeo conquerendi de tanto infortuniò? ſemper elegans habebar juvenis, & in vultu ſe offerebat neſcio quid, quod omnibus ſtatim placebat, & ob quod pulcher ſexus mihi benè volebat. Poteram juxta Catullum canere:

Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.
Idem cum Satyri carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavêre puellæ.

Sed ecce jam miſerandam mei ſic mutati effigiem, ex qua difficile erit me dignoſcere.

Cui ego: *Vous avez Monſieur bien du regret, & en la raiſon. Vôtre nez s'accorde mal à vôtre viſage, qui eſt le veritable tableau d'un ſinge. Mais dites encore grace au Apollon, que vous n'étes pas vous retourné ſans nez. Ce ſeroit encore un plus grand domage. De deux Maux le plus petit vous eſt arrivé. Il faut mieux un nez Camard, qu'en point.* Id eſt:

Dominatio vestra multum tædii, & ejus causam habet. Nasus malè vultui respondet, qui simiæ icon est. Sed redde grates Apollini, quod sine naso domum non redieris. Grandius id damnum fuisset. De duobus malis minimum obvenit. Præstat nasus simus quam nullus.

Turpe nasus duplex, nimiùm quoque grandis; utroque
Turpius est omni sed sine nare caput.

Hoc meum erat solatium, & unà consilium, quale dederam antecedenti, ut chyrurgi *nasifici* operâ novum sibi nasum ex cujusdam sat carnosis brachiis inseri curaret (*inserta repullulat arbos*, quid nî nasus?) hoc tamen observato, ut eligeret juvenem vegetiorem, qui longius ævum promitteret, ne moriente, ex cujus carne est nasus insititius, hic unà computresceret, quod confirmatum dicunt experimentis. Ad botros rubicundos fugandos linimentum Cosmeticum præscribebam, & unà votum addebam, ut cœlum ei conservaret visum, ne indigeret perspiciliis, quæ naso gestare non poterat. Quibus jam meliùs contentum, & secum rursus quid cantilenæ mussitantem dimittebam, ingratum tamen cuculum, pro consilio nil nisi verba civilia more gallico (complementa vocant) rependentem. Et sic Monsieur de *Courtnez* tam brevi nasi quàm scientiæ valedicebat.

Vix homine phantastico liberatus eram, & ecce alius fores pulsat. Quibus reclusis conspicio *Rhinautum* Catoniani vultûs senem,

(*Cri-*

(Crine senex fanaticus albo.) Juvenal.

Qui nescio, quid magnum videbatur promittere, sed cultu non proinde speciosus, ut facilè appareret hac notâ eum literatum esse. Is ergo ad latus consistit meum. Ego inquit ludimagister sum, & ut spero humillimæ scientiæ. Benè est, cogitabam, opportunè venis, ubi nasi distribuuntur. *Orbilius* ille, Eho! ait mi Domine, quid rei *pica nasi*? quid naso tabacophoro cum pica avi negotii? an & hæc tabaco utitur? nunquid elegantior titulus libro tuo *spica nasi* fuisset? Tabacum enim instar spicæ odoriferæ est, quod merito nos Didasculi inter fœtores puerorum Scholasticos degentes pro summo mephitis remedio, & omni suffimento pretiosius habemus. Ingeniosè sanè ista, inquam, Vulpinans Didascule. Verùm non satis cum naso. Amice non ultra *Palæmonem* aut *Donatum.*

Tecum habita, nôris, quam sit tibi curta supellex.

Næ malo es naso, quia malus es magister. Rationem confusus non capiebat. Statuit, pergebam, *Horatius* parum discriminis esse inter magistrum inexpertum, & inter eum, qui pravo est naso, sic canens: De Art. Poët.

Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet: hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quàm pravo vivere naso.

Legimus ſpicam farris è naſo mulieris Aretinæ aliquandò prodiiſſe. Recede à me paululum. Etiam tibi ex naſo ſpica prodit, ſed profectò haud probi odoris (totus nicotianam ferinam olebat & non ceſſabat

Hirnhaim de typh. gen. hum. c. 19.

In naſo preſſum digitis extendere pætum.)

Quid verò Latinis *pica* ſit, cùm neſcias, in vernacula à cariſſima tua coſta addiſcas. Ita pudore ſuffuſus, *ut iniquæ mentis aſellus*, auriculas dimiſit, & ne verbulum quidem amplius hiſcens cum pravo & non parvo naſo (*con un palmo di naſo*, dicunt Itali) ſeſe ſubduxit. Faciebat hic locum alii importunè intranti: Mendicum putabam, ita querelas movebat. Facie velatâ magni doloris ſpeciem ſubibat. Ecquid inquam Vir bone mali te affligit? an dente doles, an gutture, quod genus habeas faſciatas? neutiquam, ait, mi Domine, Doleo *truncas inhoneſto vulnere nares*, quas pudor jubet obvelare. Venio petiturus conſilium. Sociis quotquot ad Parnaſſum comites fuêre, naſus rediit, ſi non ſuus, tamen alienus, mihi heu dolor! nullus (*non cuicunque datum eſt habere naſum*) quia in naſorum à Satyris redditorum farragine fortè unus compertus eſt defuiſſe. Cœpi conſolari hominem, & dixi, quod ſolatii cauſam non unam haberet in malo eſſe ipſam mèdelam mali, amiſiſſe naſum non cervicem, potuiſſe fata pejora manere, recepiſſe alios quidem naſum, ſed & quemlibet ſuos pati manes, ſatius eſſe nullum quàm peſſimum, & ex privatione hac redundare quo-

que

que fructum non exiguum. *Nunc & damna juvant.* Martialis. Narravi Imperatorem Turcarum *Selimum* sibi fecisse resecari proliriorem, quam gestabat Mystacem, id quod ejus Patri, & Proavo fuerat in more; rogatum à consiliariis facti causam respondisse, patrem suum instar fatui barbâ pro lubitu à suis ministris traductum fuisse, hoc, ne si sibi contingat impedire. Verùm addebam, quia nasum quoque sibi rescindi non fecit, postmodum adhuc pejùs naso ductus est, ut hodie pluribus maximè nasutis non raró amat contingere. Vir bone nasum non habes, nemo igitur imposterum te eo poterit ducere. Memorant Chronica Anglica *Ebbam* Abbatissam sibi suisque monialibus, nec non alias ipsius regionis honestiores Virgines nasum sibi decurtâsse, Danis in Angliam irrumpentibus, ne pudicitiæ facerent jacturam, quam & hoc stratagemate sartam tectamque servarunt. Ita commodum est privari naso. Olim lutetiæ Parisiorum illis qui ad triremes damnabantur, abscindebatur nasus, & sic mutilati catenisque vincti per viarum compita ducebantur in spectaculum. Meditare tibi adhuc constare libertatem, neque ad triremes esse damnatum. Quibus quidem inductionibus haud acquiescens replicat: Juvenis sum, fœminam meditor: Et quæ mihi nubet sine naso? nosti enim quid dicatur de nasorum peculio. Respondi puellarum ubique immensam multitudinem, & in illa procul dubio innumeras esse, quæ & non nasato nubent, modo multa possideat agri jugera, multâ magnâque paropside

cœnet, nec non nummorum ſatis in arca ſervet. Tunc ſane

Juvenal. Sat. 6.l.2.

Ocijus illud
Extorquebit, ut hæc oculo contenta ſit uno.

Et quidni facie ſine naſo? vidi cui in conflictu glans plumbea crus alterum, & cui ex intenſiori frigore ſphacelus utrumque pedem Abſtulerat, & tamen *Hymenæum* habuêre faventem. Naſum amiſiſti non in pœnam adulterii, quæ apud Ægyptios erat, & quam quoque Hieroſolymitanis minatus eſt ipſe DEUS. Neque pellicatus eum tibi ſuſtulit ſicuti *Hialto* naſi præciſione pellicem de amoris ſucceſſore percunctantem mulctavit. Neque etiam, quod hodie non rarum eſt, cancer gallicus eum abſumpſit, ut proin cauſa pudoris tibi haudquaquam ſuperſit. Habuiſti tui ſimiles vel in regum familiis. Rex Judæorum *Hircanus* per proprium fratrem naſo privatus eſt. *Leontius* & *Heracleon* Cæſaris *Heraclii* filii naſum amiſerunt. Non eſt igitur, quod hanc jacturam admodum defleas Adde quod perſpiciliis tibi non ſit futurum opus, ſiquidem ut Itali dicunt. *A naſo tagliato non biſognano occhiali*

Apud Ezechiel c. 23. v. 25.

Saxo Hiſtor.

Joſeph. l. 24.

Verùm enim verò diſcurſus hic ſerio-jocoſus non tam ſolari, quam irritare mag s hominem videbatur. Rogavi igitur, num & prædeſtinationi fidem haberet? utique habeo, ait, & vel cum capitis mei periculo defendo. Crede, ajo, & cogita naſum tuum ab æterno ad reciſſionem eſſe prædeſtinatum, nec non, ut inſtar chelarum cancri novus tibi non ſuccreſcat.

cat. Hæc meditare in solatium. Quod nisi sufficiat, vade ad *Rhinotectum* magnum causi- & nasificum. Ille te sine naso non dimittet,

Artificique tuum ducet sub pollice nasum.

Absit ait ille ad talem *nasifabrum* me convertere. Tibi assentior, & prædestinationi, quæ sufficiens mihi in adversis præbet solamen, plenissimè acquiesco, ita cum multa gratiarum actione discessit.

Gaudebam me importunis hisce Sociis jam liberatum, & concludebam mecum, neminem ex ista nasatorum turba deinceps ad meos afflatus admittere. Et ecce magno impetu *Belalia* furore quasi abrepta in conclave irruit, imò ferè in faciem, ore spumante acclamans: Tolle mihi hunc nasum, redde meum, quem *pica* abstulit. Sit quæcunque velit novo naso contenta, minimè ego. Meum volo, aut tibi ex facie hisce unguibus discerpo tuum. Non patiar sic me ludi. Noveris me primari Viri esse filiam. Pater meus *NasICtus* ex iis est, qui rabiosa fori jurgia tractant. *Cerberum forensem* appellat *Petronius*. Ille nasi restitutionem in integrum te mox docebit mandato sine clausula. Lex enim est irrefragabilis, spoliatum ante omnia esse restituendum. Certè primò aliquantum turbatus metuebam, ne insana mulier in vultum involaret. Oculi namque ira scintillabant. Ad meam igitur defensionem me à sede erigens vultum cum voce severiorem formabam. Quis inquam furor te præcipitem agit lymphata mulier, ut tam impuden-

ter os in me ſolvere auſis? quid ad me naſus tuus? hunc unde potes, repetas. Num verò illius me cuſtodem feciſti, ut eâ audaciâ exigas? Naſum te habere video non inficetum, an alium deſideras? illa ſubſidente jam primo æſtu iram mutabat cum lacrymis, & excuſato, ait, mi Domine hunc iracundiæ impetum, quem mulieris impotentia impatientiæ juncta extorſit. Videor tamen juſtâ querelarum cauſâ non carere. Priſtinum naſum meum commendabat elegantia, benè factum, politum, & hactenus ſemper (cum pro Virginitatis jugo maritale nunc nubilis ætas exigat) delicatè curatum. Solvebatur in lacrymas, & verba ſuffocabat ſingultus. Ita memoria expetiti, auſteritate tamen Patris hactenus ſuſpenſi connubii conturbabat puellam. Nempe ut canit *Owenus* Batavicus.

Virgo tribus luſtris, ubi tres ſuperaddidit annos
Nonne ſat eſt? quid me dicere plura jubes?
Virgo licet taceat, pro virgine nubilis ætas
Exigit, & patrem vel ſine voce monet.
Ora petunt, roſeæque genæ, tumidæque papillæ,
Solvitur in tacitas tota puella preces.

Tandem defervente mentis orgaſmo vocem redditam in ulteriora de naſo lamenta ſolvebat, quæ verſu *Juvenalis* parum mutato non inelegans erit exprimere: Sat. 10. l. 4.

Aſt en deformem & tetrum ante omnia naſum,
Diſſimilemque meo, deformem pro cute pellem,
Fatentes nares, & tales aſpice rugas

Quas

Quales in vetula sibi scalpit simia bucca.
Quàm rudis & simplex, quàm carneus, & malè cultro
Formatus, qualem donat natura Menalcæ. Balde.

Apage hunc nasum, redde meum. Novus iræ redeuntis motus faciem rubore suffundebat. Tempus est inquam *Belalia* motus componere. Non mihi aut meæ *picæ* sed tuæ, quà Nicotianam deperis, necesse est hanc nasi fœditatem exprobres. Huic lis injicienda. Hæc tractanda, ut meretur. Hæc naribus expellenda, & nasus formam recipies novellam. Si verò refractaria eidem valedicere detrectes, quid nasi elegantioris doles jacturam? quid defles in eo rugas, quas & ætas ultro in eo exarabit? *Forma bonum fragile.* Quid iste nasi nitor, quem & ipsa atteret senectutis caries? *Non semper lilia candent.* Memento plures tuæ conditionis esse Virgines, quibus nasus modulo adhuc longe deteriori formatus est. Verùm hæc dicta surdam non magis quàm cautem movebant, unde alio Achille meditabar expugnandam, ne sine solamine à me dimitteretur. Terebat *Belalia* non raro horas in lectione librorum gallicorum, imprimis illorum, quos *lêtres galantes* vocant. An non recordaris inquam te in iis legisse, famosissimum in Galliis Ducem de *Roquelaure* nasi fœdissimi & maximè simi virum aliquando nactum esse in itinere socium nobilem quendam ex Averonia nasi adhuc longè fœdioris. Quibus proin mox singularis amicitiæ fœdus conciliavit nasorum Sympathia, & huic in aula Regia hunc præsti- Tom. 6. p. 387.

tit

tit favorem, ut quem liti gravissimæ hactenus inter plures annos finem invenire non poterat, mox repererit. Talem relationem nasus habet ad nasum. *Patinus* grandi & aquilino naso insignitus fatebatur se singularem Sympathiam habere cum nasis grandioribus, & odisse simos, plerumque putentes & cimicum instar fœtidos. Tanta est concordia nasis. Jam igitur inferebam, cùm passim major sit apud vestrates *Cyparissos* nasorum similis cum tuo conformationis numerus, major quoque illorum ad tuum erit sympathia & magnetismus, quo plures in tui venerationem pertrahes, & quæ cum naso pristino sponsum nacta non fuisti, cum isthoc brevi tempore sortieris, id quot, ut audio, tibi votum est unicum. Nunquid hoc grande ex naso beneficium? illa albos ostendens dentes blandulè subridebat. Si vera, inquit, narras, ut te narrare satis capio, valeat nasus pristinus; hunc quem habeo, retinebo. Utinam tantùm eum à me nulla alia repetat! *pol! quid non persuadet Hymen*? Hisce dictis prævià reverentiali corporis inclinatione, oblatoque more Batavorum osculo, quod tamen Germanus respuebam, lætior non sine naso obiit. Vos nobilesnobiles que puellæ tabacalis aspergine thecæ

Tom. 1. lett 41.

Eclypses vestræ nolite inducere formæ.

Bellaliæ exemplo bellæ aliæ sapient. Nemo Virginis nasum intabaccatum deperibit, nisi ipse sit *intabaccatus*, id est, ut Itali appellant, stolidus. An talis inter nasos tabacopropho-ros sympathia & magnetismus sit, alii per experi-

perimenta ſcrutentur. Mihi *rem lepidam narrare libet.*

Siſtet ſe nunc *pro vero conficta doloris imago. Mirabellæ* Virgini patritiæ debilioris texturæ eſt cerebrum, aſt præpotens phantaſiæ dominium Jatrophila ſemper ſe ægram putat, niſi Medici ſui utatur guttulis, ſemper Medicando & nunquam ad Sanitatem perveniendo. Semper habet, quod cauſetur. Si fuerit ſpaciata, de laſſitudine conqueritur. Si plusculum ederit, de dolore ſtomachi, ſi longius dormierit, de gravitate capitis, ſi, quod ſœpè fit, excanduerit, de totius corporis alteratione. Ubi morbum audit epidemicè gaſſari, jam ſe infectam putat. Ubi amicam fatis ceſſiſſe intelligit, ſe proximè ſecuturam ingeminat. Ad hanc cùm forſitan rumor detuliſſet, virginibus, quæ à pixide capſulaque tabacaria pendent, naſos eſſe mutatos, jam & ſe, quod tabaco uteretur, naſum habere, qui peſſimam cum ſua forma faceret mixturam, mordicùs ſibi perſuadebat. Imprimis cùm talem ipſi *Morpheus* ſub turbulento prioris noctis inſomnio ex ideis per diem fortiùs impreſſis affinxiſſet: identidem igitur ſpeculo arbitro eum examinabat, & ultra mare Caſpium devovebat. Miris lamentis & geſticulationibus horas perdebat. Veneri vota faciebat, & Domina inquit Venus, ſi priſtinum naſum recepero, tibi Hecatombem donabo. Ita *quidquid quæritur, optimum videtur.* Pergit querelis. Alia nunc, Dii noverint, quæ tralatitiâ pulchritudine & naſo meo ſibi faſtum facit, hic mihi pudorem. Ah ut olim naſum meum conſpexi lubens, ſed hunc cum dolore! quid

quid moras traho! quidni novaculam impono, & præscindo enorme nasi tuber? plura volebat proferre, & credo præteritis ineptiora, cùm à domesticis consultationis causâ accitus conclave ingrederer. Hæc statim converso ad me vultu sic orsa est. Nasus meus mi Domine omnibus simulacris erat emendatior, qualis decuisset *Venerem Marti* blandientem, nares paululum erant inflexæ, quales *Dianam* habere credidit *Praxiteles* ejus statuam exsculpens. Quid est amica, inquam, quod cum proprio naso litiges, aut quid ei maledicas? non meo ait *Mirabella*, sed alieno id facio. Non quem vides meus, sed alienus nasus est. At ego. Mitte fabulas. Qui quem geris, alienus nasus esse potest, & quem gerit alia, tuus? lusus ille phantasiæ est. Neutiquam ait illa. En tabulam, in quam peritissimus Bataviæ Appelles *Vandyckius* olim vultum meum transtulit, in quo nasus à meo nunc omninò alius conspicitur; certè repetebam, phantasma illud est cerebrì melancholiâ distorti. An prototypon serviet copiæ, an hæc illi? crediderim potius errâsse penicillum, quàm ab antiqua forma tuum aberrare nasum. Et quæ amabo *Circe* nativo tuo nasum substituisset alienum? quæ sodes indicia? maxima sanè adsunt, ait *Mirabella*, nasus meus sanguine nobili erat ortus; Hic nescio quali, fortassis olitoris aut Cerdonis. Nasus meus tenerrimus erat, quem

Ex samia argilla genitrix formosa creavit.

Hic rudis ex vili luto fabricatus est. An ergo in-

inquam in ſanguine ponis diſcrimen? an iſte è vena fœminæ nobilis & ruſticæ emiſſus diſparitatem oſtendit? aut num carnea utriumque naſi pulpa differt? conceſſerim tibi claro ſtemmate natæ eum fortè à perdicibus ac phaſianis accepiſſe nutrimentum, illum autem è pulte ac fabis. Sed an proin naturâ & excellentiâ utrumque immenſum diſcrepare putabis? uterque herculè inter pares uteri fœces olim ſuſcepit prima ſui ſtamina, & ſimile accrementum. Eundem aërem hactenus inſpiravit, ut quid proin prærogativæ inde naſus nobilis ſuſceperit, non capiam. Conceſſerim fortaſſis hoc unicum, quòd hactenus tabaci ſuffitu, ut putas tuus recreatus fuerit, ruſticus verò ille auram ſtabulariam ſuſceperit. Etiam non rarò naſus in caſa educatus & à fortuna ad aulam eductus æquè altè ſuum extulit apicem, quàm ſi in palatio natus fuiſſet. Attende quid dicat Romanus Sapiens: *Eadem omnibus principia, eademque origo. Nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius. Unus omnium parens mundus eſt, ſive per ſplendidos ſive per ſordidos gradus ad hunc prima cujusque origo perducitur.* Par igitur utriusque naſi origo. Quid eſt quod eum ſuper alios faſtuosè elevas? aut tuum melioris materiæ aut moduli æſtimes? animus facit nobilem, non naſus, neque qui ante nos majorum fuit, noſter eſt. Nemo in gloriam aut faſtum noſtri naſi vixit. Cujus naſum melioris conditionis putas, aquilæ an ciconiæ, quod illa in aulis principum ſœpè educetur, hæc in tectis villarum ruſticarum? ſtolidum eſt criſpare nares aut attollere,

L. 3. de Benef. c. 28.

quò

quò alios deſpícias. Naſos ſervarum & Dominarum eâ lem·

Materiâ conſtare puto paribusque elementis.
Neu credas ponendum aliquid diſcriminis inter
Et pellem atque cutim.

Verùm non hæc dicta velim tibi, ſed naſo tuo, quem putas, alieno. Quamvis non diſſimilem, querelas iſtas plus ſuperbiæ, quàm rationis habere, & riſu potius dignas quàm commiſeratione. *Mirabella* rubore ſuffuſa rationibus videbatur cedere. Unde relicto hoc nobilitatis themate ad aliud mox proſiliebat.

(*Nulla diu, quamvis præſtans ſibi fœmina conſtat*)

Verùm, ait, naſi mei formula erat elegantior. An neſcis à pulchro veſtibulo ornari domum, & faciem à naſo? hic mihi erat albicans, quali qui donantur, *Plato* & *Plutarchus* ceu Deorum filios honorabant, & jam me quoque veluti Deam colebat juventus, quam nunc vix aſpicere dignatur. Præterea & magnitudine ſpecioſus erat, qualem decori eſſe puellæ nobili
Cant.7.4. Sacræ litteræ fidem faciunt, naſum ſponſæ turri *Libani* comparantes. Omnes majores mei naſo verè *Maximiliano* ſe ſpectabiles præbuerunt, ut eorum in triclinio ſuſpenſæ monſtrant effigies. Aluit familia mea

Stirpe Deas & fronte Deas, naſoque potentes.

Et ego ſola paternæ gloriæ exſors humili naſo de-

degenerem? apage hoc nasi propudium.

Hæreat in stultis brevis ut semuncia nasi. Persius.

Sed ô dementiam! replico. Mors æquo pede pulsat pauperum regumque nasos. Inspiciamus non icones, sed avitas tumbas. & in eorum nasos oculos intendamus, an putas nos agnituros, num simo an aquilino fuerint? Mortuorum Ossuária curiosiùs perlustra, an nasi Sceleton nobilis ignobilisve discrimen faciet?

Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula,

Et multò magis quantuli nasi. Imò quod magis est.

Quot statuas similes tibi continet urna feralis,
Quæ naso careant, quarum os venerabile fractum?

Quæcunque naso sit forma, aliquando ejus cadaver nausea erit nariumque pestis. Mitte igitur inutiles nænias. *Non semper lamenta juvant.* Sive natura sive casus naso impresserit formam, perinde est, modò à vitio non fuerit deturpatus. Si autem inhærens tabaci catharma cum tibi mutârit, illi renunciato. Non accepisti pravam formam, si quam habes fecisti. Et sanè nisi planè cœca es, nasum sat ingentem obtines. nisi quæ nunc dixi, planè non intelligas. Vale. Aliò nunc me vocant negotia. Cras saniori mente & naso te offendere spero. Sic discedebam, *Mirabellæ* relinquens solitudinem,

 quæ

quæ melancholicorum paradiſus eſt. Illa tamen hæc altiùs ad animum revocans thecam abjecit tabacariam, & ſic paulatim reſipuit. *Tanti eſt ſapere & abſtinere.*

Balde. *Vos moneo, quibus eſt ſervandi cura decoris,*
Perdendive metus, ne ſit Nicotia cordi.

Graviſſimus phantaſiæ eſt ictus, qui naſum percellit, nam

Nihil eſt, quod credere de ſe
Non aliquis poſſit.

Mihi comperta referam. Novi ante plures annos juvenem bonis literis imbutum, inque omnibus ſapientem, ſed

Obſtipo capite & figentem lumine terras.

Quòd nares ſibi immane fœtere crederet. Novi pariter Juriſconſultum ſpectatiſſimum eâdem fœtentis naſi (ſive vera ſive imaginaria fuerit mephitis) phantaſiâ aliquot menſibus laborantem. Utrumque intra annum Libitina, illum contracta ex affectu melancholico tabes, hunc febris acuta è vivis ſuſtulit. Narrat *Bidermannus* quendam intempeſtivâ phrenitide deluſum ſibi perſuaſiſſe, naſi promontorium ultra decem pedes procurrere, quare ſi qui primum ædium limen tangerent, vociferatum, cautè accederent, ne immeritum naſum improvidi calcarent. Tantum virus habet phantaſiæ ludentis impreſſio, cui nec tota ſufficit

Sal. Muſ. l. 5. p. 265.

An-

Anticyra. An qui nasum se habere putat aliis magis nobilem & generosum, & delicatioris materiæ, & elegantioris moduli, non quoque insaniat, alii judicent. Tabaco saltem Helleborino hi uti poterunt non invito *Apolline.* Dico cum Baldeo.

Nares hinc poterit, per me licet Olpa sagaces
Tendere vel sursum, vel versus labra deorsum, Virgilius.
Posse dari doctos non credo Rhinocerotes.

Verùm jam à *mirabellæ* visitatione redeundum est domum, ubi ad fores me exspectabat puella nubilis, & juvenis, cui *barba erat incipiens.* An fors illos junxerit, an notitia, aut familiaritas, non dixero. Non infrequens hic casus est, ut unà plures medicum accedant, consilium petituri. Loquebantur invicem & querelas reciprocabant. Hic illi ingeminabat illud *Maronis:*

ô Virgo nova mî facies, inopinaque venit.

Illa huic:

Nos quoque floruimus. Nasus fuit ille caducus.

Cesserat Virgini infelici cambio nasus aduncus; Juveni autem pro statura corporis grandior longiorque, quo uterque liberari votis omnibus expetebat. Utriusque singulatim erant audienda verba. Illius primò locus dabatur. *Nezilla* igitur, (hoc nomen puellæ dabimus) tractis è pectore suspiriis sic ad me: Dederat na-

tura nares graciles atque pusillas, casus in Parnasso retribuit nasum aduncum, nasum psittaci sive picæ exoticæ, felicioris connubii certo certius futurum Averruncum. Jam mihi fata prævideo illius apud *Terentium Phanocratæ* filiæ, quam sibi à matre *Sostrata* his quidem verbis recommendatam:

Nate mi ego pol tibi dabo illam
Lepidam, quam tu facilè ames, filiam
Phanocratæ nostri.

Renuebat *Clitipho* hoc ad Patrem *Chremem* responso:

Rufamne illam Virginem Cæsiam sparso ore
Adunco naso? non possum pater.

Rogo igitur & obtestor, ut qui variis nasis jam medicinam diceris fecisse meo etiam facias, ne fæditas hæc fortunatis nuptiis ponat obstaculum.

Miratus *Nezillæ* candorem in detegendo cordis desiderio, quod aliàs sat astutè noverunt velare puellæ. Non putem, inquam, virum prudentem propterea aversurum tuas nuptias. Profectò, qui sale non caret, dicet cum vate:

Quænam est hic culpa puellæ,
Si tibi displiceat nasus?

Iuven. l. 2. Sat. 6.

Sollicita es,

Tanquam hic famæ discrimen agatur

Aut animæ. Tanta est quærendi cura decoris.

Verùm crede mihi, hujusce

Nulla viro cura interea, nec mentio fiet
Damni.

Modo aurum argentumque attuleris.

6 Virgo, virgo, quærenda pecunia primùm,
Nasus post nummos.
Protinus ad censum. De naribus ultima fiet
Quæstio.

Non ignoro, parentis tui arcam hisce refertam, unde facilè in ampla domo nasus tuus locum inveniet. Exspecta nonnihil, & consilium non ingratum suggeram. Interim pro solatio sit talem nasum fuisse fœminis nobilissimis.

Antoniæque, & Juliæ, & Calphurniæ,
Cossutiæque, & cum Mamæa Octaviæ,
Etiam Sabinæ, & Arriæ, & Corneliæ.

Nasus venustus incurvus ait *sidonius*: qualem & *Elisabetham* magnæ Britanniæ reginam habuisse referunt. l. 1, Ep. 11.

Tum conversus ad *Neorhinum* (sic juvenem appellabimus) rogavi, quæ causa ad me compulisset. Ah inquit molesta vultui nasi moles, quæ aut Deos capripedes aut horridum *Bructerum*, non mei statûs adolescentem, deceret. Vix per plateas audeo incedere, quin illum

Extenti monstrent digiti, risusque sequantur.

Cui subridens ego. Iniquissime mi *Morbine* conquereris de naso, nunquid ut canit *Persius.*

Pulchrum est digito monstrarier, & dicier hic est?

Nasus iste non unum tibi tribuit beneficium, quod plurimi tali naso, si pretio væniret, coëmpto libenter sibi vendicarent. Magnus nasus signat prudentiam, imò, ut *Barlæus* canit, *demonstrat nasus vicinior ori magnanimum.* Unde Oneirocritæ eum, qui se magno naso per somnium viderit, magnâ in rebus agendis solertiâ & sagacitate fore promittunt. Nunquid hanc gloriosam affectas? Dicant te grandem possidere nasum, modò adjiciant eum esse sagacem. Longitudo nasi id prærogativæ habet, ut calices evacuando eum propius fortiusque odor vini feriat. Memorant notissimum Polihistorem & Poëtam Georgium *Buchananum* insignem Oenophilum meri intemperantiâ sibi accersivisse hydropem, quo ad extremum turgidus cum amplius bibere non posset, situlam vino plenam ad tectum poni jussit, ut ejus saltem odorem naso attraheret. Nunquid apud hunc prolixior nasus magnam gratiam habuisset?

Jac. Balde. *Magnas afflat gravis amphora nares.*

Talem singulari privilegio obtinuerat *Vatinius* stro-

ſutor Bereventanus, qui teſte *Juvenali* Sat.6. l.8.

Siccavit calicem naſorum quatuor.

Verùm nondum tibi naſus eſt vatinianus. Neque etiam *Silii* apud *Martialem* L.2.Ep.8.

Qui pene terram tangit, indecens naſus.

Neque Viri apud *Cl. Bartholinum*, qui adeo Cent. 2. Hiſt. 41. fuit protenſus ac pendulus, ut inſtar proboſcidis galli Africani hinc inde cum corporis motu commoveretur. Neque tibi tanta naſi magnitudo eſt, quanta in Æthiopia certæ genti, *Iſidoro* teſte, labii inferioris, quod ultra ulnæ menſuram ab ore propendet, ita ut ne putreſcat, ſale ſit condiendum. Non eſt denique ea, quæ olim in Græcia *Proclo* naſi immanitas, qui neque naſum extenſum digitis, ut emungeret, attingere, neque ejus ſternuentis ſonum auribus percipere potuit, quod ita reddidit Latinè Anglus acutiſſimus Thomas *Brownius.* Pſeudoc. l. 4. c. 9.

Non potis eſt Proclus digitis emungere naſum,
Namque eſt pro naſi mole puſilla manus.
Non vocat ille Jovem ſternutans, quippe nec audit,
Sternutamentum tam procul aure ſonat.

Nulla itaque Tibi eſt querelarum cauſa. Sit

Naſi rudis indigeſtaque moles,
Nec quidquam niſi pondus iners.

Da operam, ut sale prudentiæ condiatur. An nescis nasum majorem esse nasum Basilicum seu regium, quem proin Itali appellant *Naso imperiale* & *Massimiliano*? Cujus appellationis tibi referam originem. Constat Glor. Memor. Imperatorem *Maximilianum* majore naso vultûs augustissimi decore insignitum fuisse. Dum igitur aliquando liberam quandam Imperii Rom. urbem ingrederetur, incolæ artifices, quod scirent eum arte factis admodum delectari, cæsaris imaginem variis modis adornârunt. Alii Effigiem ex ligno affabre excisam, alii encausto artificiore pictam alii cerâ eductam, sed omnes cum decumano naso Cæsari præsentabant. Quod quidem primitùs non reprobabat, singulorum dexteritatem largiori dono remuneratus. Posteaquam verò quæstûs causâ ejusmodi simulacra, effusâ nimiùm copia indies magis magisque fingi, & importunè offerri animadverteret, ecce per Deum, inquit fastidiens, quàm probos speculorum fabros urbs hæc alit! quilibet, qui ingentem novit fabricari nasum, eum vultui Cæsareo adaptat, & nobis eo cupit gratificari. Atque sic deinceps nemini permisit accessum.

Tu autem, pergebam, *Neorhine*, non indiges ejusmodi artistis nasificis, neque necessum est Norimbergam petas, talem primæ magnitudinis allaturus. Gratis tibi obtigit nasalis Majestas. Nullo pretio constitit nasus Imperialis. Habes igitur quod de nasi peculio potiùs gaudeas, quàm tristeris. Ego tibi congratulor.

Mutato naso crevit tibi, mascula forma.
Nasus hic esse virum te quoque testis erit

Par-

Parvus erat, rediit magnus cum fœnore nasus.
Plaudite, dat nasos Nicotiana novos.

Quibus dictis arridere *Neorhinus*, obtutos oculos in ingentem nasum deprimere, & in cute gaudere de nasi obtenti fortuna. Cui ego unà in Virginem oculos dirigens. Hæc sanè adhuc tuis posteris major contingere poterit. Si enim quam tecum adduxisti naso aquilino dotatam nuptui duxeris, futurum polliceor, ut pater proles generes nasatissimas, quibus insit & nasi paterni longissimi & materni adunci perfectissima imago; imò spondeo adhuc major soboli accrescet. Neque dubito, quin singularis nasorum & naturæ convenientia vos unà huc ad me duxerit. *Omen habet nasus.* Abierunt læti & jam abunde contenti naso duplicato. Ego verò cum amico gaudebam magis, quod tandem nasatissimorum impórtuno accessu essemus liberati. Cœtera turba ad alios medicos confugit. A quibus an feliciùs nasum obtinuerint, nunc intelligetis. Narrabo non inficetam comædiam, sub qua seculi mores, & turpissimas Medicastrorum imposturas, nec non vulgi credulitatem veluti in scena repræsentata conspicietis.

Eugeria Menelai divitis in Batavia mercatoris uxor Parnassum quoque cum reliqua turba visitaverat. Longiori itinere lassata & quod potissimum, cum alieno naso domum redibat eo tempore, quo ancilla prandii officium exequebatur, jam jam reducem ex domo mercatoria Dominum præstolans. *Eugeria*

 sine

sine præfatione arripiens sedem ad focum se componit, adhuc tota anhelans. Ancilla fœminæ sibi ignotæ imaginem, & quod ita liberè intrâsset, mirata audaciam sciscitatur, quid peteret aut cujus esset. Cui hæc: num *Berta* dominam tuam non nôsti, aut num oblita es reverentiæ, quam debes, ut his verbis reducem ausis compellare? ancilla fatuam rata, quam vel sors eò deduxisset vel Bacchi impetus; Exi hinc, ait, vesana mulier, ne temetipsam verberibus victimam præbeas hero jam jam domum redituro. Quis ejusmodi larvam pro Domina agnoscat? quid, ait *Eugeria*, insolens bestia, heram tuam ex vultu ore & voce non agnoscas, & salvam advenisse gaudeas? actutum jubeo mihi assurgas, crepidas, & Japonicam abollam offeras, potumque Caffée lassatæ præpares. Interim vario & promiscuo clamore tota concita domus ultra advocârat accurrentes vicinos, qui omnes veluti quodam monstro confusi nil nisi mulieris nasum intuebantur, & in risum soluti fabulæ exspectabant exitum. Nemo enim non mulierem hanc advenam pro delirante habebat, quamvis vox ipsa heram non obscurè proderet. Natu major filia ingenti stupore rigida stabat, quasi *medusam* vidisset. Alienus nasus non permittebat matris agnitionem. Attamen hæc paulò astutior suis non fidens oculis cœpit à muliere indagare nomen. At illa filiam exæstuanti vultu intuens, nescis, ait, & non noscis me tuam matrem? necesse est vos cœcos esse redditos in hac domo & vicinia, ut vultum vobis tam familia-

miliarem non agnoscatis. Ipsamet autem nesciebat se alienum nasum præferre, eumque satis grandem, sub receptionis tumultu forte oblatum, qui physionomiam penitus distorserat. Quid stolidissimâ mente, ait, detrectatis recipere vestram Dominam & matrem? Ego illa ipsa sum vestra *Eugeria* non ita pridem domo ad Parnassum profecta. Jam incidebat omnibus rumor de novis nasis ibidem receptis, unde non obscuris indiciis agnitam intenti aspiciebant omnes. Campanula foribus appensa sonitu nunciabat venientem hospitem *Menelaum*, cui tumultûs in ædibus orti jam perceptus rumor alas addiderat. Crederes *Persei* spectâsse parmam, tam repentino frigore novus uxoris nasus viri vultum immutabat. Non ille more suo in amplexus conjugis ruebat, incertus eam pro sua recipere. Inspiciebat nunc in eam, cui longæ fidei experientiâ credebat, nunc in filiam, & ipsam non minimâ perturbatione attonitam. Tandem non expectans stupentium voces & relationes (historiam enim rei in Parnasso actæ jam fama aliunde ad eum detulerat) sic ora solvit. Prô quæ *Circe* vultum uxori abstulit, & novam speciem induxit, ut nec liberi matrem, nec ancilla Dominam, nec maritus uxorem agnoscamus? ah siccine omne nasi pristini artificium cecidit? sed quid! fortassis & fallor, nec hæc mea uxor est. Imò sum ait *Eugeria* marite suavissime, non dubita meâ fidelitate fretus. Si es, ait, *Menelaus*, monstra signum meæ tibi olim datæ fidei annulum. En ait *Eugeria* ipsissimum, nisi & iste oculis vestris fascinatis fortasse illudat. Maritus
eam

eam jam conjugem agnoſcens oſculum ferebat. Unde mox altum ſilentium, & vicinorum turba ex ædibus muſſitans diſceſſit. Jam ſoli ſtabant domeſtici animis adhuc ſuſpenſis; & ad ſe invicem converſis vultibus, tacitè ſecum quærentes, verónе caſu an per inſomnium ageretur. Cùm jam multa invicem diſputâſſent, nullumque amplius de *Egeria* dubium reſtaret, hæc in profuſiſſimum riſum ſoluta cauſam quærit, quod ſpeciem ſuam non noviſſent. Et quis ait *Menelaus* te agnoſcat vultu tam deformi mutatum, ut *Tyſiphone* ſororem te potius crediderim, quam meam uxorculam, jam ingens & flammeus tibi naſus eſt. Eja ſecede mecum in triclinium & ſpeculo indice diſce veritatem. Illa actutum eò provolare, & vultum conſpicere. ô quis derepente clamor? quis planctus! quis ejulatus! illa arripere cultrum, naſo minitari novum caſum, & extrema fata, deteſtari Apollinis ſententiam, maledicere Satyris, execrari demum pixidem tabacariam, quod naſum ita transmutâſſent. Ad quem Diabolum aut ad quam furiam, ait, iſte naſus pertinet? ô me infelicem: non mirum, me à vobis agnitam non fuiſſe Jam me ipſam non noſcito. Naſi novitas aliam vultui formam induxit. Morior niſi meum recepero, naſum tam bellulum, tam comptulum, ab omnibus ita cultum. ô naſi monſtrum! ô vultûs propudium, ô Apollo! ô Mercuri! ô Satyri reddite mihi meum naſum. Maritus uxorem tantùm non deſperatione agi, & jam dolore elangueſcere, jam quaſi furiis lymphatam exagitari dolenter ſpectans (tenera namque paſſim Batavorum

erga

erga uxores est devotio) jubet moderari animi impetus vitæ funestos Pacatiùs, ait, corculum meum, pacatiùs adhuc consilio est locus. Omnem admovebimus machinam naso isti novo evertendo. & restituendo, qualem desideras, elegantissimo. Novisti *Rosindæ* nasum, qui tibi talis formæ placet? aut quî etiam *Callioniæ* nasus nitidissimi moduli? elige quemvis emendatissimum, reddemus. ô quàm tum eris nasutula, quàm blandula, quàm bellula, tales, pluresque ineptias (etenim consultùs erat uxorem salibus placare facetis) recitabat, verbis abblandiens, ut aliquo solamine mulceret tumultuantem *Egeriam*, interim more patriæ, & suo uxoris lepidissimæ labia aliquot basiolis compressit.

ô Demens! ita servus homo est! Juvenal. Sat. 6. l. 22.

Ita est. Inquit *Mantuanus*

Quisquis amat, servit: Eclog. I.
Fert domita cervice jugum.
Fert stimulos, trahit & bovis instar aratrum.

Verùm hæc suspirans, imòque trahens è pectore vocem, quis amabo, inquit, nasum restituet? cui *Menelaus.* Nihil est mea columbula ita grave, quod sit extra Æsculapii potestatem, qui etiam apud nos extra mœnia non habitat Nosti amicum nostrum *Laophenacem*, urbis nostræ Podalirium, ut multos vel ab ipso orci limine quasi fugitivos revocârit. Ille levi operâ nasum aut tuum aut alium arte quâ pol-

pollet medico- magicâ tibi reducet.

Ad imit. Juvenal. *Egregium populus putat atque peritum Artificem. Quippe hoc crescunt nasi atria fabro, Et crescunt quocunque modo, majoraque fiunt Incude assidua, semperque ardente camino Pharmaca, quo parat.*

Præstitit ante paucos annos navi ad Gronlandos operam Chyrurgicam, quorum nasos aquilone gelatos corruptosque didicit restaurare, & novos condere (*credat Judæus Apella*) domum reversus bullâ universitatis admodum splendida (diploma vocant) quam ipsus nuper inspexi, renunciatus est Artis *Asclepiadeæ* Doctor. Nasorum namque fabricâ multum sibi questum fecerat, ut facile illum titulum (alicubi vili ære venalem) carè satis emere potuerit. Jam autem prô quantus cluit inter Medicos nostrates Practicus! nam quod majus est, curas callet Sympatheticas & magneticas, quibus vel ipsius Turcarum Imperatricis nasum, si expetis, per transplantationem vultui tuo inferet. Prô qualis est Uromanta? Omnia ex lotio novit divinare. Mittemus ad illum tuam urinam. Certus sum mox edicturum radicem tuarum querelarum dumtaxat hærere circa nasum. Dicet prætereа cujus ille sit, & ad quem tuus infelici cambio transierit. Illi loquebantur, & ecce domum ingreditur *Laophenax*, à filia, quæ hoc patris consilium auscultaverat, clam accersitus. *Laophenax* Salute præmissâ & pileo vix reducto, ô Domina inquit propensiore *Hygiæâ* digna, quam nunc auersari visa est, gaude à mè sana-

ſanari. Novi vel primo intuitu (à filia jam omnia callidè expiſcatus erat) & vel in ipſo domûs limine morbi rationem. Oſtende ſis matulam. Exhibe arteriam. Omnia veluti è tripode Delphica tibi ediſſeram. Nunquid hoc eſt, quod dixi mea agnella, ait *Menelaus*. Confide *Laophenaci*. Ille callet tot naturæ (*etiam Machiavelli medici*) ſecreta, quibus te promptè ſanabit. *Laophenax* egregiè concuſſo & limis oculis inſpecto lotio mira, inquit, hìc licet obſervare phænomena. Naſum in urina conſpicio peregrinum, ex quo iſta animi pathemata tibi certò oriuntur. Naſus ille cum tui circulatione ſanguinis haud quaquam conſentit, quod docet arteriæ pulſus (hunc interim pollice explorabat) ſanguis tuus non novit iſtam naſi alieni pulpam, & proin erubeſcit ad illius præſentiam, idcirco tam eſt rubicundus. ô quam bellè quam exactè iſta omnia ad unguem naturæ! exclamat *Menelaus*. Novi quoque pergit *Laophenax* Domina mea, quid deſideres, alium elegantioris formæ naſum expetis. Illum tibi intra menſem procurabo planiſſimè novum, & ad omnem perpolitum, quaſi è pixide. Naſum meum in ſuccidanium dabo, niſi tuus tibi ad vota reſponderit. Jam *Egeria* blandulo & parvo ore (cujus ad decumanum naſum mira erat ſpecies) arridere, & oculos implere animi lætioris indiciis. Quæ enim Naſipeta ad talia promiſſa non exultet? An ille crede, inquit, Doctor (paſſim in Batavia Domini titulum vulgus non adjungit) Ampliſſima erit merces, mihi ita beneſeciſſe. Neque ſolùm pro meo, ſed plurium aliarum hujusce urbis fœmina-

minarum nafis unà laborabis. Multæ namque mecum in eadem navi verſantur. Ad quas ubi mei curati fama pervolârit, pariter accerſeris, & vel ex ſolius naſi Therapeja dives & admirabilis audies *Æſculapius*. Tum *Laophenax* dejectis oculis paululum ſecum meditari, quod remedii genus proponeret, & cum *Egeria*, quæ pro more non paucis Bataviæ fœminis ſueto, libenter de medicina & remediis diſcurrebat; argutè confabulari. Novi, demum inquit, medicinam Virtute magnetico- ſympathetico- magica præpotentem & magnitudinem expugnabit. Noviſti ſerpentem quotannis veteres ponere exuvias, & novâ pelle veſtiri. Noviſti cancrum brachia quoque innovare, nec minùs cervum abjicere cornua, & novos eorum frutices induere. Cur igitur de novi naſi ſuccremento addubites? ex hoc fundamento inſtituenda erit cura. Recipiemus chelas cancrorum contuſas, addemus Raſpaturam Cornu cervi, & cum ſerpentis adipe remiſcebimus in formam linimenti, quo ſi naſus tuus emplaſtretur, vim regenerativam induet, quasdam indies exuvias deponet, hisque abjectis neceſſariò novus repullulabit; planè infans, tener, delicatus, qualis te decet tam divitis mercatoris conjugem, & alteram velut Junonem. En ſchedulam, quam *Recipe* appellamus.

Accipe ſerpentem pinguem,
Cape brachia cancri,
Incoque cum cornu cervi,
Fiatque malagma,
Ni tollat naſum, nodos ac tubera ſaltem
Leniet impoſitum, vimque experiêre. probatum eſt.

Hoc

Hoc præparari facies in officina pharmaceutica. Verùm etiam opus est exactâ Diætâ, aliàs nasi radices facile suffocabuntur, aut degeneris nasi stolone aberrabunt. Ovis recentibus (nam & iis vis inest ad novam generationem) indies vesceris. Potum Thee, Caffée, & Chocolade bibes, quantum libet (*ô grata fœminis diæta!*) deambulationes non raras facies, imprimis ad amicas, vicinasque, quas eadem premit nasi iniquitas Socias namque in pœnis habere dulce erit. Manè autem proderit oscitantem ignaviam molli thoro ad meridiem usque fovere. Quæ omnia novo nasulo robur & vigorem addent. Benè est, ait *Egeria*. Placet hæc diæta, quam ex amussim exequar. Verùm hæc nondum, inquit *Laophenax*, sufficient. Sumendum etiam intra corpus est medicamentum renovativum, & restaurativum, quale possideo maximum, (scilicet ut ille apud *Tacitum Eudomus specie artis frequens secretis*) quod vel ipsam corporis humani arborem, ubi ruinosa est, potest resarcire. Hoc indies in usum erit vocandum. Tale nulli nisi mihi soli medicorum pater *Apollo* ex naturæ Sanctuariis deprompsit. Propriis manibus id elaboro, ne arcana publicata vilescant. Quod verò quia pretiosum est, casibusque dumtaxat desperatis destinatum, nec non lautæ tantùm fortunæ hominibus, nunquam apud me paratum exstat, sed necessitate exigente semper recens, quia sic efficacius, conficitur. Et isthoc, ait *Egeria*, libenter sumam, modò utendi methodum edocueris. Dixi, inquit *laophenax*, medicamentum esse pretiosum, & à me recenter paran-

H dum,

dum, quocirca non grave erit, ſaltem medietatem ſumptuum præparationi neceſſariorum prævie expendere, medietate alterâ ad curam abſolutam rejectâ. Decem ad minimum in auro ducatos nunc enumerare placebit, quos neceſſum erit impendere, & ex meis totidem addere. *Egeriæ* ex hac inexſpectata exactione vultus derepente intumeſcens vario colore æſtuabat. Videſſes ſimilem illi,

Qui fuit in vultu viſæ ſine veſte Dianæ.

Auri exponendi improviſa neceſſitas ſubitaneum ſilentium imponebat, & jam ſubibat cogitatio, num ſatius foret novum naſum quàm aurum dimittere. Verùm mariti ambiguus non erat aſſenſus. Amo te ait mea *Egeriola*, & quidni tantillum pro te auri lubens exponam, modò naſum ex voto recuperes? recluſâ itaque mox ciſtulâ depromptos decem ducatos *laophenaci* numerat, qui eos vultureis oculis & manibus ſibi in perpetuum vindicans aurea promiſſa, & ſpem optimi naſi reponebat. Verùm intentionem jam adeptus non diu morabatur, ut, quod ſpondebat, medicinæ præparationi quantocyus initium faceret. Oſculo bis terque genis (nam & hic *numero* mos *impare gaudet*) *Egeriæ* impreſſo fidem firmabat, & vale dicebat. Vix domo erumpens, geſtiente animo ſecum muſſitabat. *Laus fraus muliebria ſunto*, tam activè quàm paſſivè. Quis Diabolus mulieri naſum novum faciat? egregia hæc mihi hodiè eſt auri meſſis, quam ſatis vel ex eo promeritus videor, quod ſtolidiſſimæ mulieris vanitatem

tatem consolatione perinulserim. Excudenda jam porrò nova erunt stratagemata, quibus honori meo succurram. Promisi intra mensem nasi palingenesiam. Interim nasi præsentis assuetudo dolorem leniet. Tempus namque optimus est medicus, etiam phantasiæ depravatæ. Vel *Helenâ* formosissima quand que *Thersiti* paulatim assuescit, cur non deformiori naso *Egeria*? Dicam naso alio non succedente eandem agi melancholiâ, & totum morbum in imaginationis vitium conjiciam. Dicam nasum veterem jam ab'atum esse, quod ex urina & arteriæ pulsu enunciánti facilè credet. Sic nostri partem, quæ restat, dimidiam non negabunt. Interim tincturæ ex auro renovativæ à me promissæ locum supplebit spiritus salis armoniaci volatilis ingenioso fuco croco tinctus, quò phantasiæ saltem satisfiat. Sic loquebatur sibi, ad alios ægros excurrens, quibus pari versutiâ palpum obtrudat & nasum fabricetur. Postquam *Iaophenax* discesserat, nunquid ait *Menalaus*.

Hic vir hic est, tibi quem laudari sæpius audis?

Prô quàm exactè ille nasum tuum in urina & arteria deprehendit? quam eleganter de circulatione sanguinis disseruit? quàm egregia medicamenta præscripsit? felicem reputa nasum tuum, talis medici experientiæ concreditum esse. Sic maritus uxorem decipiebat, & semet ipsum *Vivitur hoc pacto sic novimus.* Persius.

Verùm vos simplicissimo simpliciores. Calendis græcis nasus redibit alius. Sic hodiè fert

 se-

ſeculum inter medicaſtros, qui ne furunculum quidem naſi novit tollere, vel integrum promittet naſum, ſi caſus eum abſtuliſſet. Tales *Laophenaces Charlatanos* prô dolor! conceſſo emptitii teſtimonii libello creant nonnullæ Scholæ, alit Regio *Vitabaca*, ſuſtentant non uno in oppido civium fata & mortes. Utinam iis mens, quæ Satyrico:

Balde Sat. xv. *Præterea tumidum non poſſum ferre Glyconem,*
Unguibus & ſciſſisque comis ac forſice ſummas
Promotum ad cædes. Medicis nunc æquiparat ſe
Tonſor heri, aut digito confundens unguen Aliptes.

Verùm ſucceſſit ex voto cura. Abceſſit *Egeriæ* naſi phantaſia, & *laophenaci* curati honor.

Grandis erat tuus ô veſana Egeria *naſus,*
Grandior eſt naſus, quem tibi Agyrta dedit.

Innumera per univerſam urbem & regionem naſis quærebantur auxilia, ſed paſſim ſine effectu, unde jam viis extraordinariis imò illicitis non unus medelam ſollicitabat. Miſeri enim, *Barclaus* inquit, aut anxii mortales terribilia & incognita remedia arcanam vim habere exiſtimant. Provolârant cum turba, quæ ad Parnaſſum ex varia regione quaſi claſſico convocata confluxerat, etiam *Nazenius* & *Naſibaldus* fratres, cum non proletario naſo nunc in patriam reduces. Inaudiverant fortè in vicinia degere *Canidiam* penes quam eſſet

Ni.

Nigra facundi Delphorum Numinis olla,

Quæ & de futuris ferre præſagia, & de præteritis narrare ſecreta, conjurare ſpiritus, certisque characteribus atque verbis omnis generis morbos imprimis à lemuribus & ſpectris illatos profligare potis eſſet. Accedit uterque benè acceptus. *Canidia* pacto curationis pretio ſpondet in cryſtallo oſtendere, cuinam illorum naſi ceſſerint. Mox igitur in eadem adducit vultum peregrinum, non ſine naſo, & hunc *Nazenii* eſſe ipſiſſimum per quidquid ſacrum ſanctumque eſt, adjurat. Aquâ igitur luſtrali (Dii noverint, ex qua ſcaturigine) naſum aſpergit, centumque format ſigna crucis, hæc verba admurmurans:

Haut, *haut*, *haut*, *iſta piſta*
Siſta Damiano Danauſtra.

Id eſt, ut *Caſparus à Reijes* explicat, multarum nugarum plurima plauſtra. Intra paucos dies naſum exoticum certo certius ad *Alibantas* iturum aſſeverat. Verùm nec aqua, nec crux, nec verba barbara naſum loco moverunt. Sic hic cum duplici naſo, & non ſine deceptæ credulitatis infamia ad ſuos rediit.

Acceſſerat eodem tempore quoque ſeparatim *Naſibaldus*, novum naſum recepturus. Appendit illi alio ſuperſtitionis dolo è collo ſcedulam, quâ indubitatò naſum peregrinum fugandum ſpondet. Sed nec hæc eum depulit.

 Ape-

Aperitur à curiosis periapton, inspicitur, & en inscripta verba:

Strigiles falcesque dentatæ
Nasum huic stolido amputate.

Conquerebatur apud me de hoc pessimæ vetulæ fuco. Respondi eum adhuc longè pejorem nasum meruisse, quòd ad sagam medicastram se converterit, ejusmodi schedas pacto Diaboli implicatas esse, nec verba à sagis Pharmaceutriis quantumcumque etiam *Calecutica*, quæ nec ipse Mexicanicus *Vitzipuzli* intelligeret, prolata vim in sanandis morbis nedum nasis tollendis naturaliter ullam possidere. E-
Cas 27. n. 1003. p. 726. tiamsi illa apud *Gobatium* anus nocte mediâ, lunâ plenâ verba naso tuo insusurraret, quæ aliàs strumis tollendis adhibuit.

Quidquid video, crescat,
Quidquid hic tango, decrescat
Invisibile fiat, & pereat.

Non peribit illius magnitudo aut forma exosa. ô grandem dementiam, imò malitiam in homine Christiano ab ejusmodi orci scrophis petere auxilium! alia longè pietas, vel sub ip-
l. 1. de remed. amor. sius gentilismi caligine *Nasonis* fuit monentis.

Deme Veneficiis carminibusque fidem.

Cent. 3. de quæst. Epist. F. 268. Et certè. *Hic Naso non falsa canit.* Syrupi & apotemata, inquit *Alsarius à Cruce*, sunt medicinæ hominum, verba & characteres Dœmonum.

Ve-

Verùm enim verò cùm nec deteſtandâ hac viâ naſis fieret ſolatium, & adhuc undique urbs reſonaret querelis, varia jactabantur conſilia de medicis peregrinis, qui domeſticis exactiùs naſorum callerent medelam, accerſendis. Conſilii huic opportunè advenit rumor famoſiſſimum *Machaonem* jam in urbem adveniſſe, qui in erecto ad forum theatro certiſſima naſis remedia venditaret. Argutus nempè medicaſter circumforaneus hoc aureæ meſſi tempus maximè opportunum ratus, ſe expertiſſimum *Naſocurum* jactitabat ex ultimis terræ auſtralis incognitæ finibus, in quibus innumeros naſos maris glacialis accolis fatali frigore ablatos levi manu reſtituerit, eò appuliſſe. Naſos fictitios inſigni numero transmiſſo filo colligatos, ut aliàs *Odontagogi* evulſos dentes ſolent, è pegmate ſuſpenſos oſtentabat. Pileum multicolor pluma, veſtes aurum, latus morio, & non unus famulus ſtipabant. Os verò linguam exſerebat Thraſoniſmis & mendaciis refertiſſimam. Prô ut omnis mox tolutim accurrit populus, quaſi ex nova zembla aut remotiſſimis Africæ finibus monſtrum ſpectandum veniſſet. Imprimis non exigua muliercularum turba confluebat novum receptura naſum, quem inaudita dexteritate cuilibet ſe poſſe ponere ſtentoreus Agyrta jactitabat. Et hoc unicum ſaltem citra mendacium Non ingratum erit eum audire declamantem. Si! ſilentium & riſum teneatis amici.

Poſtquam variis nugis atque ridiculis cum ſimiola, aliisque animalibus exoticis, quæ ſecum vehit, geſticulationibus veluti quodam ce-

leusmate plebem ad Theatrum coëgit morio impudentissimus, Dominus Doctor (sic populus appellat) sed, verè per anagramma *Indoctus Dromo*, bis terve theatrum obambulans factâ ad spectatores reducto pileo reverentiâ:

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.

Et sic fari incipit; Vos Domini, quotquot huc convenistis, salvete: Ego *Jerolymo Banqueroza di Calebortia* magni in Indiis *Mogol* & potentissimæ Principis *Madonnæ Pocadeniræ* serenissimæ *Donnæ* di *Kakogenia* Archiater,

(Audin? ut resonat? quanta est fiducia buccæ)
Alter Philliri.les Chiron Amithaoniusque Melampus.

Quem supremus ille omnium donorum largitor singulari lumine scientiarum illustravit, in hanc urbem non ita pridem bonis avibus appuli, non lucri causâ, sed ut ex amore proximi talenta mihi à Deo concessa, & artis medicæ experimenta impenderem, & restaurandis nasis, quibus vestratium medicorum nemo hactenus par fuit, remedium præsentarem expertissimum. En grandes testimoniorum bullas, rarissimæ meæ experientiæ testes.

(*Morio eas successivè ostentat*) & nasos enormes à me feliciter exstirpatos, (*Crediderim fuisse magistrum operum in sublimi*) *maître des hautes œuvres*, *appellat Scaron* (*qui nasos unà cum capitibus detruncârit*, *nam & hoc genus hominum medicinam involat*) in quorum vicem elegan-

gantes & generoſos reſtitui.

(*ô Immani mendacia turgida faſtu!*)

Et quidem unguento meo ſympathetico conſtellato, cujus ingredientia præcipua ſunt *Darapti & Felapton*, quæ partim in deſerta Arabia, partim ad littus maris rubri ſub certa ſiderum poſitione propriis hiſce manibus ipſus collegi, & remiſcui. Ecce vos Domini pretioſum hoc meum Balſamum quale vos Domini (*hoc tituli condimentum mendacio nunquam abeſt*) in nullo pharmacopolio, & apud medicorum neminem auro venale habere poteſtis. Aſſevero vobis vos Domini, quòd mea Medici verè adepti experientia eo devenerit, ut mediante hoc balſamo ipſas Syrenes in fundo maris Helleſpontici percurârim, ut caudas ſuas amiſerint, & aliis hominibus planè ſimiles evaſerint. Quid nî ergo vobis naſos longè faciliori negotio adimam reddamque?

(*Sic immenſa cavi ſpirant mendacia folles.*) Juvenal. Sat. 7. l. 3.

Ego in Africa Æthiopibus nigram cutim detraxi, & intra paucos dies reddidi candidiſſimam. (*Hoc hominum genus aptè dixit Patinus, triumphat tribus I. impudentiâ, ignorantiâ, & impoſturâ.*)

Hoc remedium; pergit Agyrta, quo tanta miracula patravi præſento vobis hodie vos Domini vili admodum pecuniâ. Ejus quidem pixidem ſemper aliàs tribus florenis vendidi, ſed nunc hodie Vos Domini curioſitatum amato-

res cras namque mihi cum ſocietatis Indiæ occidentalis navi jam in Teſſella ad iter maritimum in procinctu ſtante in Indiam erit remigrandum, vobis uno floreno dono & offero, & quidem in mei memoriam & pro valedictione. Ah vos Domini non ego talis impoſtor ſum & nebulo, qualis nuper hoc etiam loco proſtans crumenas veſtras emunxit, non ego talis ſum laus Deo vos Domini (*centies fortè pejor*) ſed in arte mea approbatus, à Cæſare & Regibus privilegiis donatus *Naſifex*. Mirabimini, jovem juro lapidem, vos Domini, quales vobis intra paucos dies accreturi ſint naſi, ubi hoc balſamo obliti fuerint. Dixerat, & paululum reſpirabat. Prô qualis in popello fremitus? quis plauſus? volant ſtrophiola & chirothecæ nummorum bajulæ. *Quaſi ningat in ære floccis*, ſic volitant, repetituræ tam nobile balſamum. Omnes Thraſonis loculi intra paucas horas ingravidantur florenis, imperialibus, ducatonibus. Benè vobis conſuluiſtis vos Domini, ait Archinebulo, quod de meo medicamento vobis tempeſtivè provideritis, ut neceſſitate exigente habeatis. Prandii hora monet, vos hoc loco diutius non detinere, ſecedo nunc ad meum hoſpitium.

In de grote Neus. Quod *grandis naſus* notis inſignibus audit. Ad quod me ſequi poteſt, quiſquis hoc loco publicè à me conſilium petere erubeſcit. Ibi qualem naſum, brevem, longum, obeſum, gracilem, ſimum, reſimum deſiderat, dextrâ manu novero apponere. Vivite vos Domini felices, valete & gaudete novis naſis brevi tempore ex balſamo meo apponendis, *quidnî jam ap-*

appoſitis? ita theatro valedicit ſtentor nunquam rediturus. Vah! quis ubique in civium ædibus, hoſpitiis, conventibus de circumforaneo artifice ſermo? quod in ſexu præſertim fœmineo tripudium de novis naſis *à la mode* brevi recipiendis! Inunguntur, fricantur, emplaſtrantur intus extus naſi naresque, non ſemel indies unguento conſtellato, quod tamen nil aliud eſt, quàm adeps ſuillus radice alcannæ oleoque ſpicæ fucatus. Sed ô infelix aſtrum! manet idem qui ante naſus. Non parvo accedit magnitudo, neque magno parvitas, omnibus autem meritò ex ſtoliditate pudor. quod fidem adhibuerint aſino iſti Cumano, impoſtori impudentiſſimo, qui interim ne ipſe naſo turpiter mulctetur, exceſſit, erupit, evaſit. Dii noverint quô: credo ad

Chinenſes portas Peluſiacumque Cairum.

Quilibet ſecum tacitus ridet, & ne quidem videri vult deceptus. Ita eſt inquit Charlatanus: *Muntus fult tezipi*; id eſt, vult habere naſum decumanum. ô homines ſimpliciſſimos! ô impoſturam impudentiſſimam! omnes iſti non habuêre naſum, nunc habent.

Nil jam amplius ſupererat conſilii, nil remedii non tentatum. Nullus naſis reſtituendis par erat

Bartholus & Baldus Cicero Varoque Maroque.

Imò nec ipſe *Pergameus Couſque* ſenex. Tandem omnis *Cacorbinorum* turba ſive conſultatio-

tionis, five ex impatientia Vindictæ, quod metuebam, capiendæ causâ ad fores hospitii mei se se colligit, importunè meam præsentiam atque affatum postulans. Ego ut verum fatear, illius in nasi atque animi æstu veluti euripo versantis popelli miseratione commotus me ultro coram exhibeo, & elatâ manu altissimo mox facto silentio sic ordior:

Mira cives honoratissimi (etiam popellus instante rebellione atque tumultu verbis blandioribus demulcendus est) ut somni sic phantasiæ sopitâ ratione sunt ludibria, quæ variâ tristitiâ, metu & dolore nata sunt hominem exagitare. Quidam ut observatorum primas *Schenkius* refert, sibi persuasit, nasum in tam immensam & prodigiosam longitudinem excrevisse, ut Elephantis proboscidem se circumferre, qui nunquam non esset impedimento, & subinde vel ipsis patinis innataret, sibi imaginaretur. Narrat *Bartholinus* Viro Sanguine Melancholico turgenti nasi in eam magnitudinem exporrecti fuisse imaginationem, ut publico abstineret, ne nasus à transeuntibus conculcaretur. Miseranda sanè horum fuit conditio. Quod verò putatis tanto malo imaginario fuisse remedium? an fortassis nullum? nolite credere. Accitus ad priorem Medicis singulari dexteritate ac latenti quadam habilitate longum farcimen naribus admovit, arreptâque novaculâ apprehendit non nullam carnis partem, rescindensque farcimen, unà avulsit nasum imaginarium, sic homo parum sobriæ mentis, omnis mali adempto metu, proprium nasum recepisse sibi visus est.

Cent. 1. Hist. 80.

De-

Deme malo larvam, monstrumque videbis inane.

Non dicam quidem vos omnes simili phantasiæ ludibrio vexari. Nam multis esse nasum revera fœdissimum in manifesto est. Quis verò cavebit, ne juxta *Cartesii* hypothesim bonus aut malus genius saltem non paucos naso traducat. *Non omne quod videtur & apparet, verum est* inquit Aristoteles. Alia itaque viâ depravatis nasis vestris, aut certè, nî fallor, à nicotianâ corruptæ phantasiæ quærendam puto salutem, & quidem ex solo *Helicone* sperandam. Indubitatum namque est *Castalium* fontem longè distare communibus undis, & incredibili vi medicâ pollere in cerebris naribusque hominum defœcandis. Certum putate, quòd si jussu Apollinis *Hippocrenis* stagna à Mercurio veluti quodam Eudæmone moveantur, omniumque iis immergantur & proluantur nasi, stupendâ metamorphosi pristinam formam statim sint recepturi Siquidem non diffiteor in hac opinione me esse, neminem vestrûm possidere nasum alienum, sed pristinum suum, propriumque à Nicotianâ veluti altera *Circe* saltem deturpatum, adeoque alieni nasi larvâ ideali deformatum, quam fons Caballinus facilè detrahet. Nam quot non ex tantùm non belluis ipse homines reddidit? quoties rectæ rationis usum rerum noxiarum, & quidni etiam tabaci picâ & abusu sublatum restituit? Consilium itaque meum est, ut omnes ad Parnassum citò revoletis, & ad tribunal *Apollinis* supplices culpam deprecemini, sicque ex mirando hoc fonte nasi reducis gratiam exspectetis. En literas recommen-

mendatitias, quas vobis trado quibus Apollini exhibitis haud dubiè votis vestris annuet. Earum sensum attenti percipite, ne rursum vos à me naso duci existimetis. Illas igitur lentâ & clarâ voce recitabam hujusce tenoris:

Phœbe tabacophoræ tandem miserere cohortis,
Et clemens nasum redde cuique suum.
Nonne diu satis est populo jam fabula nasus,
Non certè in vanum fabula ficta jocum.
Auxilium petiêre viri, petiêre puellæ
A medicis, majus sed fuit arte malum.
Ante tuos se turba pedes prosternit, ut ipsis
Restituas nasos voce gemente rogat.
Tandem formosis non differ parcere nasis,
Quos deturpatos vel Venus ipsa dolet.

Arridet consilium. Non itur sed curritur ad Parnassum. Supplex omnium nomine offertur libellus. Patrocinantur Divæ *Pierides*. Annuit ipse jam lœtiori facie ridens *Apollo*.

Ad imit. Bald.

Et surgens Stagna subivit;
Et trepidas commovit aquas vertigine, & alto
Numine complevit. Resonans exæstuat amnis,
Lucentes saliunt bullæ. Vada torquet anhela
Tempestas, omnesque furens ingurgitat oras
Fluminis Aonii. Spumis albescit ab imo,
Vimque salutiferam recipit fons atque medentem,
Tripudiare omnes, totumque immergere corpus
Nedum nasum optare ac exsorbere procellas.
Nec mora. Præcipitem dat nasum quilibet undis,
Credite cuique redit mox nasi pristina forma

Atque

Atque ſuum vultum verus decor usque reviſit.

Ite nunc vos *pœtonaſi*, inquit *Apollo.*

Eſt demtus per aquas naſi ſtultiſſimus error:
Ergo novâ nullum vexet prurigine naſus,
Ne pœna graviore luat.

Gaudebant omnes jam naſo recepto, unde præ ingenti lætitia exclamabant:

Salva ſua eſt naſo per Phœbum forma puellis,
Eſt quoque ſalva viris. Laus ſit Apollo tibi.

Per quam immanem vociferationem diſpulsâ ecſtaſi tandem ad priſtinos ſenſus & meos lares revertebar.

Et ſic ridendam concluſit fabula ſcenam.

Nunc vobis univerſis tabacoprophoris gratulor de naſis receptis. Certè cui aut de meliore luto naſum effinxit *Titan*, aut qui eum naturâ licet obeſiorem Parnaſſi fonte mergit, id eſt verâ tingit prudentiâ, rudem formam ei perire, naresque emungi, imò cerebrum ita defæcari ſentiet, ut æquius de *Pica naſi* judicium ferre, nec non de Nicotianæ naſalis peſſimo abuſu prolatam veritatem agnoſcere valeat.

Ergo Tabacophili riſuque jocisque notati
Atque inſigniti naſis, Muſæque jocoſæ,
Inſontesque ſales, Satyri Satyræque valete.

Hoc

Juvenal. in Sat. *Hoc fabella modo pausam facit.*

Sulpic. Cujus finale epiphonema:

Curavimus nasos, & non sunt sanati, derelinquamus eos.

Martialis. Indice *non opus est nostris, non vindice chartis.*

F I N I S.



APPEN-

APPENDIX
SIVE
Explicatio quorundam Vocabulorum vel novorum vel minùs obviorum, quæ intellectum lectoris, cui curta ſupellex, poſſent ſuſpendere.

A*L-modiſſa.* p. 37. Eſt fæmina mores novos inſectans. Vocabulum jam olim P. Jacobo Balde inſigni è S. J. Poëtæ in Satyricis uſitatum.

Alicariæ miſeræ. p. 8. Ubi errato typographico poſitum eſt Alciariæ, ſunt famulæ, quæ piſtoribus farinam alicæ cribro transmittunt. Alica germanis dicitur ſpeltze.

Ambubajarum collegium. Phraſi Horatianâ dicit pharmacopolas. *Ambubajæ* ſunt mulierculæ herbas pro officinis collectantes.

Balux (nonnullis *baluca*) auri p. 26. Eſt arena auri, qualis ex mari, & diverſis fluviis auriferis colligitur.

Cacorbini, qui malum vel depravatum naſum habent.

Ecchymoma. p. 31. Eſt cutis ſugillatio à ſanguinis ſub eam extravaſatione à caſu, percuſſione &c.

Florum omnium. p. 27. Per hoc deſignatur, quidquid ex ſtercore vaccino majali paratur. Sic aqua ex eo deſtillata in pharmacopoliis appellatur *aqua florum omnium* Unde & pulvis naſalis ex eo paratus aptè vocari poteſt *Pulvis florum omnium.*

Fourbissimum animal. p. 29. Vocabulum est à *Patino* inuentum, derivatum à Gallico *fourbe*, quod significat impostorem.

Gynæcander. p. 51. Notat virum vel juvenem effæminatum.

Hircus narium. p. 32. Medicis appellatur narium fætor, sicuti axillarum *Hircus sub alis.*

Intabaccati. Appellantur illi, qui stolidè depereunt tabacum nasale. Intabaccato enim Italis stolidum seu insipientem dicit.

Lypothimia. p. 32. Est animi deliquium quod ex variis causis, etiam ex pravo odore potest ingruere.

Mangonizati nasorum pulveres. p. 10. Est tabacum variè mixtum, & pro meliori venditione grato odore aut colore infectum.

Mima pararia. p. 45. Dicitur de Simia, quæ gesticulatrix allicit popellum, & emptores parat institori agyrtæ.

Mumia, hoc vocabulum legi debet. p. 40. lin. 3. Pro quo errore Typographi suppositum est *Nuncia.* Notat cadaver pisasphalto ab Ægyptiis olim conditum, & hoc loco innuit nasum instar talis mumiæ aridum, nigrum, & abominabilem.

Nares auriginæ tinctæ galbuli conspectum erigunt. Hæc similitudo habetur p. 28. referunt physici illos, qui ictero sive aurigine laborant, Conspectâ ave ejus coloris, quam satiri Galbulum vocant (Plin. l. XXX. c. XI.) sanari, & avem mori. Ad hanc fit allusio.

Nasicidium. Abcissio nasi, ad imitationem homicidii, parricidii.

Nasipeta, p. 111. Qui petit novum nasum.

Nasocurus. Qui nasum curat, p. 29. Legitur *ano-* & *nasocurus*.

Nasipurgus. p. 41. Qui nares expurgat.

Nasurgus. p. 80. *Nasificus*. p. 84. *Nasifaber*. p. 89. Sunt operatores circa nasum, & qui hominibus novos nasos apponunt, sive ut in Proverbio est, nasis circumducunt, hoc est, decipiunt.

Ozæna stillans. p. 19. Est ulcus saniosum & malignum in naribus, tetrum spirans odorem.

Orbilius vulpem fætens, dicit ludimagistum, vel alium pedantismo addictum Vernaculè. *Schoolvoss*. p. 63. appellatur *Pedantarcha*.

Pœtum, est herbæ tabaci synonimum. Passim apud rei herbariæ scriptores sic appellata hinc varia nova vocabula deduxit author. e. gr.

Pætipota. p. 30. *Pætivendulus*. p. 29. ubi *nugi-* & *pætivendulus*, qui nugas & tabacum habet venalia.

Pœtonasi. p. 63. Nasi pœto indulgentes vernaculâ: *Tabacks-neuzen*.

Polipragmon. p. 29. Dicitur homo pluribus artibus seu opificis lucri causa intentus.

Proseda. p. 8. Idem quod prostibulum.

Prophylacticon. p. 30 Errore typographico positum est *prophylaction*. Idem quod vulgo præservativum.

Per prosthesin. p. 80. Indicatur illa Chyrurgiæ operatio, quâ, quod in humano corpore deficit, restituitur, e. gr. nasus, aures abcissæ &c.

Rhinophori. p. 66. Qui gestant insignes nasos.

Tabatiercula, est vocabulum ab authore inven-

 tum

tum & derivatum à Gallico *tabatiere*, pixis tabacaria.

Tabacoprophorus. Vocabulum novum à tabaco & κοπρ@-, quod Græcis stercus. & φέρω, id est fero deductum. Nasus tabacoprophorus est, qui gestat stercus tabaci intra nares.

Tabacosorbus. p. 3. Qui naribus sorbet vel haurit tabacum.

Therapia vel *Therapeia*. p. 112. Sanatio *morborum*.

Tuburcinans, id est qui omnia deglutit. Ita p. 21. legitur *tuburcinans Bacchi popa*. Vocabulum usitatum *Plauto* & *Aquileio*.

Vibrissæ sunt pili in naribus. Unde p. 32. *nasum vibrissis apprehendens &c.*

Ulmaria. Est herba vulgaris, vulgo *Barba capræ*. Autor observavit seplasiam ex illa pulverem nasalem confecisse & carè vindidisse. Ita hodie nasus luditur.

Hæc pro semidoctis saltem explicata,
Eruditi in malam partem non accipiant.



RE-

RELATIO

De Virtute & Uſu

POLYACEÆ,

SIVE

Liquoris vitæ Balſamici Polychreſti,

ID EST:

Excellentis & magni in multis diuturnis ac gravibus morbis; remedii à Celeberrimo Medico Germano inventi, & venum proſtantis Amſtelodami Apud *Guilielmum Barentſe* vulgò *op de Mandemarkt.*

VIRTUS.

HIc *liquor vitæ Balſamicus* morbis variis gravibus & chronicis percurandis deſtinatus eſt, eò quòd omnia Remedii polychreſti requiſita habeat.

1. Quia juxta effatum *Hippocratis Natura*, (id eſt robur fluidorum & ſolidorum) *morborum medicatrix eſt:* Hic liquor tali artificio compoſitus eſt, ut illam maximè corroboret, reſtaurando particulas ſanguinis balſamicas, ejus circulum promovendo & conſervando, excretiones ſuccorum impurorum adjuvando, & prohibendo, quò minus in corpore accumu-

lentur. Et quia non satis est ad curationem gravium morborum, ut medicamentum dumtaxat fluida corrigat, sed necessarium quoque, ut tonum partium solidarum, qui in morbis chronicis valde languet, confortet: propterea quoque hic *Liquor Balsamicus* ita dispositus est, ut membranosas nervosasque partes debilitatas eximiè corroboret. Unde in omnibus morbis ab illarum atonia dependentibus, quos aliàs in spirituum animalium paucitatem aut influxum impeditum referunt, laudabilem effectum exserit. Est igitur remedium *Cephalicum* & *Cordiale* pereximium in omnibus capitis & cordis affectibus: ut in Vertigine, affectibus paralyticis, soporosis, catarrhosis, memoriæ decremento, sensuum hebetudine. Cordis vires in Lypothimiis, palpitatione, syncope admodùm confortat tam interiùs convenienti dosi sumptus, quàm exteriùs regioni Cordis cùm panno Scarlatino applicatus.

2. Quia magna morborum pars à ventriculi indigestione ob læsam aut vitiatam chylificationem ortum habet, neque etiam curatur, nisi hac restitutâ, ideo inventor Balsamicum hunc liquorem ita composuit, ut sit pariter insigne stomachicum. Quare si tonus Ventriculi dejectus, si robur vacillet, si ciborum digestio vitietur, si nausea incidat, appetentia sit prostrata, gravitas circa præcordia sentiatur amicissimum est remedium, tam interius sumptum, quàm cum panno calido exterius applicatum. Imprimis si in robustis vel ad vomendum assuetis aut facilibus lene vomitorium ex radicis Ipecacuannæ scrupulo uno, cùm 10 granis cinamo-

namomi in Jusculo carnis tenui calido, largiter sumendo, præmittatur, & dein Balsamus hic ad aliquot septimanas indies bis vel ter usurpetur, omnes ventriculi affectus paulatim plenè curabuntur.

3. Quia plurimi morbi (non tamen omnes ut quidam volunt) ab acido acri oriuntur, quod Sanguinem & Lympham inspissando, eos & circulationi, & succis inde secernendis ineptos reddit, ex quo gravibus obstructionibus in variis glandulis & vasculis Secretoriis ansa præbetur; ideo *Balsamicus* hic *Liquor* natus est acre-acidum præternaturale potenter subigere & domare, sicque multorum morborum causam antecedentem tollere. Unde in affectu Hypochondriaco, obstructionibus Mesenterii, Pancreatis, hepatis, splenis, renum, uteri maximo commodo sumitur. Et proin in cachexiis quoque, inclinatione ad hydropem & Asthmate humido, quæ ex circulatione segniori & humorum stagnatione proveniunt, magno effectu Usurpatur. Noxas ex nimio hodiè usitato Coffëæ potu in pluribus metuendas facilè præcavet, post illum sumptus.

4. Quia non est commodior via morborum causas expellendi, quàm per transpirationem insensibilem, sudorem atque urinam. Sic hic *Balsamicus Liquor* poros viscerum & cutaneos aperiendo hæc tria promovet. Præcipuæ si mane in lecto vel ad focum ex lignis structum cum 6, 7. pluribusve vasculis *Theæ polychrestæ herbaceæ* inferiùs describendæ capiatur, usque ad cutis sudorem sequentem. Quâ quidem methodo si aliquoties in septimana sumatur, mi-

rè proderit ad sanitatem conservandam & restaurandam. Commendabilis quoque maximè est debilibus & valetudinariis, imprimis senibus vel gravitatis ætatis, vel morbo corporis, vel animi fatigatione multùm debilitatis, etiam catarrhosis, si bis vel ter in die sumatur, vel cum vino generoso, vel Thea herbacea, vel *aquæ polychrestæ* sub finem describendæ tribus vel quatuor cohlearibus.

6 Quia in morbis chronicis & pertinacibus plerumque multi flatus ex lympha viscida & bile inerti oriundi ægrotantes molestant, sic quia hos succos *Balsamicus* hic *Liquor* egregiè corrigit, etiam potenter illos discutit & expellit. Quocirca in colica flatulenta & spasmodica, Cardialgia sive spasmo Ventriculi, inflatione stomachi, abdominis, uteri efficax est remedium, cum *aqua polychresta* vel *Thea herbacea* sumptus.

6. Quia in effectibus diuturnis nil periculosius irritatione & contractione partium nervosarum, ex quibus multa dolorifera symptomata nascuntur, ideo in hoc *Balsami vitæ Liquido* vis antispasmodica specifica non deest, propter quam in affectibus hypochondriaco-hystericis convulsivis summam laudem meretur, quatenus vi balsamicâ spasmos lenit, acidum acre corrigit, viscidum incidit, flatus dispellit. Utilissimè in his affectibus sumitur cum aliquot cochlearibus *Aquæ polychrestæ*.

7. Licet omnes morbi non oriantur ex scorbuto juxta recentiorum quorundam erroneam hypothesin, certum tamen est plures effectus Scorbuticos, quorum major, quàm putatur, est

eſt numerus, multis affligi ſymptomatibus cardialgicis, ſpasmodicis, arthriticis, flatulentis, quibus omnibus quoque reſiſtit hic *Liquor vitæ Balſamicus*, dum in ſcorbuto ſtatum ſanguinis ſive rancidi, ſive juxta alios effœti, ſive etiam inſpiſſati potenter longiori uſu emendat, & ad laudabilioris ſanguinis generationem diſponit.

8. Quia medicamentum vix debito effectu potitur, ſi alvus ſit adſtricta, ſic & vis huic Balſamo ineſt, ut in ujus uſu illa non facilè obſtipetur, in pluribus etiam blandè laxetur.

Ex quibus octo circumſtantiis & virtutibus generalibus abundè elucet *Liquori* huic *Balſamico* jure competere titulum *Polyaceæ*, ſive remedii polychreſti in morbis gravibus & chronicis. Abſit tamen, quòd illius autor illud venditare velit pro panacea, non enim curat phthiſim conſummatam, non hydropem ex corruptione viſcerum oriundum, non podagram radicatam, neque ullum morbum cum partium ſolidarum, aut viſcerum ſcirrheſcentia, deſtructione aut corruptione conjunctum &c. dein etiam, quæ notanda eſt

Cautela.

In febribus ardentibus non debet uſurpari, neque in ullis viſcerum inflammationibus, neque in ſputo Sanguinis, vomitu cruento, & quibuscunque aliis hæmorrhagiis, ſed in omnibus morbis ubi acidum temperandum, incidendum viſcidum, ſucci Stagnantes reſolvendi, vaſa obſtructa reſeranda, circulus liquorum vitalium

lium promovendus, & tota natura, id est fluida & solida, roboranda, ibi medicina est singularis.

USUS & DOSIS.

Quia omne violentum naturæ inimicum & noxium est, ideo *Balsamicus* hic *vitæ Liquor* non violenter sed blandè agit, & paulatim ac successive effectus suos prodit. Quare necesse est illius usum in affectibus gravibus & chronicis continuari curativè, ad aliquot septimanas, imò aliquando menses, indies saltem bis, ad summum ter. 30. 40. 50. 60. 70. guttas pro ratione ætatis sumendo cum infuso Theæ exoticæ optimæ, vel longè efficaciùs Herbaceæ domesticæ, juxta formulam infra notatam parandæ. Ut nonnullorum magis serviat palato etiam capi potest imprimis præservativè, & ad affectus leviores e. gr. pellendos flatus, confortandum ventriculum, roborandum corpus &c. cum vino generoso, Hispanico, Hungarico, Frontiniano aut simili, quamvis præstet cum infuso Theæ Domesticæ sumere. In gravibus capitis, cordis aliorumque viscerum affectibus, ubi statim confortandum, & morbi violentiæ resistendum, utilius est cum *aquæ polychrestæ* mox discribendæ tribus vel quatuor cochlearibus assumere. Cum qua ut etiam Valetudinarii & senes debiles, & affectibus hypochondriaco- hysterico- convulsivis laborantes capiant, præ cæteris expediet. Duabus horis à sumptione sumi potest jusculum cum vel sine ovi vitello, prout lubuerit. *Balsamicus* hic

hic *Liquor* nisi modo supra dicto in lecto sumatur, utile erit post ejus sumptionem corpus leniter deambulando sive sub tecto & in cubiculo, sive potiùs, si aura serena faveat, sub dio movere. Remedium ita tutum est, ut si una vice centum guttæ pluresque assumerentur, extra noxam foret. Est enim mixturæ admodum temperatæ, ex præstantissimis regni Vegetabilis subjectis paratus.

DIÆTA.

Ut *Liquor Balsamicus* felici successu potiatur, fugienda in diæta sunt omnia, quæ plerumque in affectibus chronicis & gravibus noxia comperiuntur. In cibis quidem, quævis acida acria, acetaria, lacticinia, præcipue lac ebutyratum, aliudve quodvis crudum, pisces marini, inprimis muriâ conditi, caro infumata bovina, & inprimis porcina, lardum rancidum, ova dura, cibi pingues, omnia legumina. Et quidquid flatus & alvi instructionem inducit.

In potu vitentur vina rhenana acida. Cerevisia novella, & non ritè cocta, & vetusta acida. Potus matutinus vini adusti. Excessus in infuso Caffeæ, vel nimis largiter, vel crebrius sumpto. Oleum enim habet nervis admodum infestum. nimius usus tabaci fumalis, & quoque sternutatorii. Fugiantur demum omnia fortiter purgantia. Si verò Balsamus hic in refractariis ordinaria alvi obstructione laborantibus eandem laxam non servaret, potest semel vel bis in septimana mane in jusculo carnis sumi

mi *tartari solubilis* ritè præparati drachma una vel etiam plus pro ratione complexions, aut circa noctem grana quindecim ad viginti pilularum seniter laxantium, quales sunt. E. G. Pilulæ *Beccherianæ* veræ, & in Germania *Stahlianæ*. In Gregariis pilulæ de ammaniaco *Quercetani* juxta Dispensatorium Brandeburgicum paratæ, aut pilulæ de succino *Cratonis*, aut similes ex judicio Medici.

Descriptiones Remediorum.

Quæ Balsamo vitæ serviunt pro vehiculo.

Aqua Polychresta.

R. Aquæ menthæ crispæ spirituosæ, id est cum vino destillatæ;
Lilior. convallium cum vino destillatæ. Corticum citri &
aurantorum recentium pariter cum vino destillatæ.
Cerasorum nigrorum

harum quatuor aquarum sumatur æqualis quantitas. E. G. Libra semis ad usum indigitatum. Qui sumptibus parcere volunt, cum sola aqua menthæ spirituosa Balsamum sumere poterunt.

Neo-Thea, sive Thea herbacea polychresta.

R. Radicis Chinæ electæ & Radicis scorzoneræ ana

ana unicam ſemis. Herbæ meliſſæ. Manipul. ij. Betonicæ, Veronicæ & Borraginis. ana. manip. j. florum anthoſ. pugill. iij. corticum aurantiorum recenter ſiccatorum (nempe tantùm ſumendo partem exteriorem flavam.) Seminis fœniculi, aniſi ſtellati ana drachmas duas. Conciſa & contuſa dentur & ſignentur ſpecies ad Theam. Bibantur 6. 8. vel 10. vaſcula.



142













MC





